

HISTORIA  
**RICHARDI REGIS**  
 ANGLIAE EIUS NOMINIS TERTII,  
 PER THOMAM MORVM, LONDINENSIS CIVITATIS IAM TVM  
 VICECOMITEM CONSCRIPTA, ANNVM CIRCITER M. D. XIII.  
*Quam propria exercitatio gratia, nec ita magno studio conscriptam, neque absolutam hanc vnam  
 posse emendauit, ut minimè mireris, si cum alijs eius Latinis operibus quoad sermonis elegantiam  
 non conferenda sit. Hoc opus nunc primum Latinè in lucem editum est. Nam ante complu-  
 res annos Britannicè ab eodem authore quam elegantissime conscriptum,  
 in manus hominum prodierat: quod in eius Anglicorum operum  
 volumine insertum inuenies.*



D V A R D V S  
 Rex, eius nominis quartus, actis vitæ  
 annis quinquaginta  
 tribus, mēsibus sep-  
 tem, diebus sex, qui  
 annū ab regno cœ-  
 pto secūdum & vi-  
 gesimū numeraret,  
 concessit fatis, anno  
 post Christum natum quadringentesimo &  
 octuagesimo tertio supra millesimū, superlitis-  
 bus masculi sexus liberis duobus, fœminei qua-  
 tuor: Eduardo videlicet Rege designato, an-  
 norum circiter tredecim: Richardo Eboraci  
 Duce, qui biennio minor erat: Elisabetha, que  
 postea ducentibus fatis Henrici septimi con-  
 iunx fuit, & octaua mater, regina forma atque  
 indole egregia. Cecilia, non perinde fortuna-  
 ta ac formosa. Et Brigitta, virtutem eius cu-  
 ius nominis erat repræsentante, professa, & vi-  
 tam religiosam ducente in monasterio mo-  
 nialium inclusarum apud Belfordiam. Anna, postea honorificè nupta Thomæ, tunc  
 temporis domino Havardo, & postea Co-  
 miti de Surre. Et Catherina, quæ sortem sub-  
 inde variam experta, interdum secundam, sœ-  
 pius aduersam. Postremo, si hæc postrema est,  
 (nam adhuc viuit) pietate, beneficentiaque  
 nepotis Henrici octaua prosperrimam, ac se-  
 planè dignam consecuta est.

Is, quem dico, Rex quum in palatio obijs-  
 fet, quod est apud Benedictinorū cœnobium,  
 ad occidentē solem circiter mille passus Lon-  
 dino distans, magnifico inde funere delatus  
 est Vindesoram: ibique non sine summo to-  
 tius populi dolore lachrymisque sepultus est.  
 Quippe qui tam benignus ac facilis fuit, dum  
 pax erat, (nam bello necesse erat partes mu-  
 tuo esse infelitas) vt neque alius quisquam in  
 Anglia regnarit vnam patribus populoque  
 charior: neq; is ipse alia vitæ parte æquè cha-  
 rijs, atque ea quæ illi postrema fuit. At eam  
 ipsam tamen charitatem, desideriumque eius  
 iniuisus parricidæ sequentis principatus au-  
 tiorem fecit. Etenim quo tempore vita fun-

etus est, inuidia omnis depositi Regis Henrici  
 sexti, quæ diu apud eius fautores flagrauerat,  
 tandem consopita resedit, iam multis eorum,  
 viginti illis plus minus annis, quibus imperita-  
 uit, defunctis. Alijs interea in gratiam atque  
 amicitiam receptis, in quam conciliandam ob-  
 uius omnibus atque expositus ferebatur. Erat  
 corpore procero, specie verè regia, multum  
 illi animi, nec minus consilij inerat. Aduersis  
 rebus imperterritus, prosperis lætus magis  
 quam elatus. Aequus in pace clementisque, in  
 bello acer & ferox. In aggrediendis pericu-  
 lis promptus, nec ultra tamen quam posceret  
 ratio, præceps. Cuius res bellicas quisquis re-  
 stet æstimer, is profecto non minus pruden-  
 tiā eius admirabitur, sicuti celsit, quam lau-  
 dabit audaciam, vbi vicit. Os & vultus erat,  
 quem videre velles. Corpus amplum, ac mag-  
 no robore strictis artibus: quanquam liberio-  
 re victu corporisque indulgentia paulò tan-  
 dem habitior est factus: nec tamen aspectu in-  
 decorus. Cæterum genio ac libidini ab in-  
 eunte statim ætate per omnem vitam ( quate-  
 tenus eum rerum gerendarum ratio non au-  
 ocabat) admodum dedebatur, more hominum  
 fere omnium: nam valentibus ægrè persuase-  
 ris modum in magna fortunæ licentia. Id vi-  
 tium eius non admodum fuit molestum po-  
 pulo, quod neque vnius voluptas viri dif-  
 fundere se tam latè posset, vt omnibus fieret  
 graue: & ille vel precio quod libuit emera-  
 ri solebat, vel precibus eblandiri: nusquam  
 grassatus violentia: flexu præterea ætatis eu-  
 sit (vt fit) postremis diebus moderatior, in  
 quibus regnum eius quietissimum, & rerum  
 status florētissimus fuit: bellum neque aderat  
 ullum, neque ullum imminebat, nisi quod ne-  
 mo expectabat: quippe externus metus omnis  
 aberat. Domi vulgo quies, & inter purpuratos  
 ab rege cōciliata cōcordia. Regi ipsi omnes nō  
 vi, sed sua sponte obediebant, veriusq; reue-  
 rebantur eū quā metuebāt. A pecunijs exigen-  
 dis (que res vna ferè mētes Anglorū alienat à  
 principe) iā pridē parsus destiterat, neq; molie-  
 batur quicq; vnde nasceretur occasio tributo-  
 rū, vestigal è Gallia iā olim obtinuerat. Barau-  
 co annum

eo autem ante mortem vnum armis potitus fuerat. Hic Rex quanquam per omne tempus imperij tanta comitate fuit in quoilibet, ut nihil illum magis commendaret multitudini, tam tamen progressio temporis (quum plerosque principes diu confirmata potentia vertat in superbiam) multis partibus auctiorem fecit: nempe eaestate, quae illi postrema fuit, Vindesoræ versatus, prefestu Londini, atque aliquot senatoribus accessit ad se, haud alia de causa, quam ut se apud eum venatione oblectarentur. Ibi eos non tam magnifico ac sumptuoso, quam amico & populari apparatu excepit, ferinamque carnem tam affluenter illinc transmisit in urbem, ut haud temere inuenias aliud, quod ei aut plurimum aut maiorem benevolentiam conciliauerit apud populum: apud quem res exigua facta comiter magnis beneficijs praeponderat, ac pro maioris in se amoris argumento dicitur. Ita princeps iste tum obiit mortem, quum vita eius maximè optata omnibus, ac iucunda foret. Cuius tam egregia apud suos gratia liberis eius (in quibus etiam ipsis tam eximiae naturæ dotes, & illustria Regiarum virtutum signa conspiciebantur, quam capere eorum etas poterat.) mirum haud dubie firmamentum fuisset ad principatum, si non eos amicorum inter se diuisio exarmasset, atque execrabilis imperandi sitis ad eorum perniciem incitasset illum, qui si aut natura valere quicquam aut fides potuisset, suum corpus hostibus pro ipsorum salute obijceré debuisset. Quippe Richardus Glocestriæ Dux, natura patruus, nomine tutor, beneficijs deuinetus, obstrictus sacramento, ruptis omnibus humanæ societatis vinculis, contra ius ac fas hoc egit, ut nepotibus suis orphans ac sibi creditis, auferre vitam, regnumque in se transferre posset. Cæterum quoniam huius viri facta materiam fere præsentis operis implent, haud absire fuerit mores eius describere, quo fiat illustris, cuiusmodi vir ille fuet; qui tantum animo scelus sustinuit concipere. Richardus ergo Eboraci dux, nobilis, factiosus, potens cum Rege de regno non armis hostiliter, sed civili more legibus in senatu disceptauit. Tantum aut causa aut gratia valuit, quum Rex innocentior esset quam sapientior, ut ex parlamenti senatus consulto, cuius apud Anglos summa atque absoluta potestas est, successor Henrico Regi, repudia ta ipsius sobole, (quanquam egregio principe) designaretur, regnum sibi posterisque suis perpetuum, protinus ab Henrico morte auspicaturus. Quam ille non moratus, dum ciuilium prætextu dissensionum conatur præstitutum regnandi tempus præoccupare, viuquam, adhuc Henrico sceptrum sibi afferere, in Vacensi prælio cum multis vnam pupuratis occubuit, relinquens liberos tres: Eduardum, quem diximus, Georgium ac Richardum

hunc. Qui vter erant omnes illustri loco nati, sic animo etiam elato ac sublimi fuere, audi gerendi principatus, neque superiorum neque pariū satis patientes. Eduardus patris mortem vltus, Henricum bello vietum regno exuit, ac locum eius ipse occupauit. Georgius Clarentiæ dux procerus, elegansque, vndique fortunatus videri potuit, si non aut ipsum regnandi cupiditas in fratrem, aut inimicorum calumnia fratrem incitasset in illum. Nam siue ei Regina factio insidias fecerit, cui cum regis consanguineis acre odium intercessit (ut mulieres non malitia quidem, sed natura inuisos fere semper habent quicunque sunt mari tis chari) siue etiam dux suapte superbia viarū affectabat ad regnum, certæ prodictionis crimen obiectum est, cuius siue sons insonsve es set, frequens eum senatus acerbissimo supplicio adiudicauit. Sed Rex atrocitatem pœnae sustulit, mortem tulit, qua ut leuissima defungeretur, in vini Creensis dolium, immerso capite, respirare prohibitus, expirauit. Cuius necem idem qui iussit vbi rescivit patratam, misere deplorauit. Richardus hic, de quo præsens sermo instituitur, ingenio atque animi robore vtrius fratum par: forma, probitateque vtrique fuit inferior: habitu corporis ex quo, inæqualibus atque informibus membris, extanti dorso, alteroque humero erectior, os inamabile, toruum, at planus eiusmodi, quale bellicosum in purpuratis, ac Martium appellari in alijs aliter solet. Versipellis, iracundus, inuidus, semperque, etiam ante partum, praus. Quippe quem fama est haud aliter alio materna eximi, quam obstericante ferro potuisse, quin Agrippam etiam statu eū pedibusq; prælati exiisse ferunt. Præterea nec indentatū, siue aliquid astruxit verō, odio natus rumor, siue natura futuri præscia præpostere multa in eius ortu ostendere voluit, qui multa foret in vita contra naturas designaturus. Cæterum bello haud strenuus dux est habitus, cui, quam ad pacem, natura fuit accommodator: sepe viator euasit: subinde etiam victus, quam remnie æmularum quidem quicquam ipsius aut inscitiae aut ignaviae vñquam tribuit: supra facultates profusus, quæ ne desicerent, ex alijs exhaucire cogebatur quod in alios effundebat. His artibus factum ut amicitiam instabilem odium parebat. Consilia sua non alijs vñquam credere, quam per quos exequi necesse fuit: at ne ijs ipsis quidem aut ante aut amplius quam res vnguebat. Personam quamlibet induere, gerereque, & tueri gnauiter. Hilarem, seueram, grauem, remissam, prout sumere aut ponere suast commodum. In vultu modestia, in animo fastus, impotens, immānis. Verbis ad blandiens hijs, quos intus impense oderat: nec eorum abstinenſ complexibus quos destinabat occidere. Crudelis atque immitis, haud ob iram semper, sed ambi-

## HISTORIA REGIS

tionis ergo s̄epius, dum vel augēdā fortunæ suæ, vel firmandæ studeret. Quippe amici, inimicique æqua ratio fuit, comparati cum commodis, neq; cuiusquā morte abstinuit vnquā, cuius vita videretur consilijs suis obstat. Constans fama est Henricum sextum, dum exutus regno in arce Londinensi captiuus asseruaretur, ab isto crudeliter adacto sub costas pugione, confossum ac trucidatum, idque nec subente nec opinante rege, qui si maxime decreuisset de medio tollere, quē fortassis è commodo magis ducebatur suo viuum in sua potestate habere, alium tamen haud dubie tam diræ carnificinæ fuerat præfecturus, quam germanum fratrem. Sunt qui suspicentur illius etiam tecta & callide occultata consilia in fratribus Clarentiæ Ducis perniciem non defuisse, quāquam resisteret, ac reniteretur apertè. Cæterum ( vt rem testimoniis visum est) aliquanto languidius quām is facturus putabatur, qui sibi serio statuisset ad salutem germani fratris incumbendum. Quibus hoc verum videtur, hij nimirum persuasum habent Richardum iam olim viuente adhuc Eduardō, hoc apud se consilium de asserendo sibi aliquando regno agitasse, si fortè, vti accidit, frater inhabilibus regno liberis decessisset. Cuius rei spem commissatio regis frequens, atq; intemperantia vicitus fecit. Eam igitur ob caussam Richardum putant Clarentiæ ducis mortem appetisse, quum ipsius proposito illius vita non fatis oportuna videbatur: quippe quem siue infide nepotis manentem, siue aspirantem ad regnum hostem sibi vidiit capitem futurum. Sed hac de re nihil certè asserere possum, suspiciones duntaxat hominū, cōiecturalq; secutus, quibus vestigijs vt aliquando venitur ad verum, ita frequenter erratur. Quanquā hoc ipse iam olim fideli relatione comperi, Mistelbroucum quendam protinus Eduardo defuncto ad Potieri domum, qui Richardo familiares erat, curiculo contendisse, pulsatoque violenter ostio, multo ante lucē, quum & violenta & intempestiva pulsatio magni ac subitarij negotij fidem faceret, propere intromissum regem eadem hora extinctum nunciasse. Ad quam vocem Botierus velut exultabundus: Non est ergo dubium (inquit) quin meus dominus Glocestriæ dux illico sit futurus rex, siue consiliorum eius cōscius fuerit, siue aliquo signo rei euentū præsenserit, (nā temere dictū haud existimo) quē ego sermonem ab eo memini, qui colloquentes audiuerat, iam tum patrio renuntiatum, cum adhuc nulla prodictionis eius suspicio haberetur. Cæterum vt revertar ad historiā, seu Richardus olim secum animo regnum inuaserat, seu consilium ex nepotum ætatis opportunitate ceperat, que res plerunque segnes etiam, & quietos impellit ad facinus, certum est decreuisse eum, vita pueris adempta, regno velut sceleris pretio potiri. Gnarus itaque veterum factionum, quibus

inter aulicos laborabatur ( quas, quoad eius erat, sedulo etiam aluerat) regis Eduardi cognatis reginæ sanguini & familie tantam autoritatem & tantas opes inuidentibus, contraquæ non minus ijsdem de rebus inuisis, eam rem suis consilijs magno putauit adiumento fore, si partium prætextu, velut offensas veteres vlturus, suum occulte negotium ageret, iraue & ignoratione factionis alterius ad alterius perniciem abuteretur. Tum ex ea quæ supereret paulatim quos posset commodum in suam sententiam perductis, si quos parum oportunos offendiceret, eos per insidias incautos, nec mali quicquam suspicantes opprimeret. Nam hoc illi constabat, si qua euasio ne consilium eius efferi contingeret, confessim fore, vt inter dissidentes factiones suo ipsius sanguine fœdus sanctiretur. Hæ dissensiones amicorum, quanquam nonnihil erant ipsi Eduardo molestæ, tamen dum erat incolumis, eo negligentius eas habuit, quod vtrāq; partem cognouit frenare se, quum vellet, pro suo arbitratu posse. Cæterum vbi postrema ægritudine decumbens, vires labecere sensit, & deploratam medicis salutem suam, ætatem liberorum animo reputans, quanquam nihil formidabat minus, quām id quod euenit, prospiciens tamen multa illis mala nasci ex amicorum dissensione posse, quando ætas eorum per se imbecilla atque improvida, consilijs amicorum ( quibus fulciri solis poterat) nudaretur, qui dum se discessione ac discordia disiungerent, partibus & studijs intenti, minus verum quod esset cernerent, aut curarēt: s̄epeque quo suam quisque factionem in principis gratiam promoueat, placitura magis omnes quām profutura consulerent. Hæc, atque huiusmodi secum reuoluens, multis è purpuratis accessi iubet, nominatim Mar chionem Dorsettum, reginæ ex priore marito filium, atque Richardum Hastingsum, virum nobilem, cubicularium suum, qui insignes inter se inimicities exercuerat: Itē alios vtriusq; factionis, qui tum aut in aula fuerunt, atque aliunde cōquiri poterant. Hos vbi Rex adesse vidit, leuatus paululum, & suffultus puluinis, sic, vti fertur, allocutus est: Viri clarissimi, id cognati mihi, affinesq; charissimi, mea quo loco vita sit & vos videtis, & ego sentio: quæ res facit, vti quo minus diu futurum me vobis cum reproto, tanto impēsior animū sollicitudo subeat, quanā animorū coniunctione affectos vos relinquā. Enimvero quales ego vos reliquero, tales liberi mei vos excipiāt necesse est: qui si ( quod superi prohibeāt) discordates in uenerint, ipsi nimirum partibus accessuri, nouasq; antē lites inter se moturi videātur, quā ad eam prudētiā peruerenterint, qua vos compotitis rebus vestris reponāt in concordiā. Teneram eorum ætatem conspicitis, cuius ego præsidium vnicum censeo in vestra concordia situm: siquidem haud satis firma res est, vestra in illos

in illos charitas, si mutuis in vosmetipsis  
odijs feramini. Quod si viri essent, minus for-  
tasse desideraretur fides. At vero pueritia au-  
toritate regenda est, adolescentia fulcienda  
consilij: quas res neque illi aliunde poterunt  
consequi, nisi vos dederitis: neque vos cedere,  
si intestinas inter vos similitates alueritis.  
Etenim ubi mutuo infensi diuersa sentiunt, & al-  
ter alterius consiliu odio cōsulentis eludit, ibi  
necessitatem bene cōsulta male cedant: quippe  
rata esse nisi consensu non possunt. Præterea  
dum suam quisque factionem studet commē-  
dere principi, fiat nimirum vti ad gratiam plu-  
ra, quam ex vero atque utili suadeantur. Ita  
prauis adulatioibus imbutis adolescentis ani-  
mus, tener princeps in vicia fertur, ac regnum  
secum in perniciem trahit, nisi si quid Deus  
inspiret melius. Quod si eueniat ut resipiscat  
princeps, atque ad frugem redeat, tu vero hij  
quorum primæ partes apud eum fuerant, longissimè ab fauore excident. Ita gratia male  
parta cito perit. Quæ vero bonis artibus ac-  
quisita est, ea demum stabilis, firmaque perdura-  
rat. Diu iam inter vos magna odia exarsere,  
haud magnis sepe de causis. Rem enim plerū-  
que, non male factam, aut male narrantis de-  
pauat oratio, aut per se exigua durius interpre-  
tando audientis affectus exaggerat. Vnum  
hoc scio, haud quam pares vobis itarum  
causas & amoris esse: nam quod homines sumus,  
quod in Christi verba iurauimus, qui vnu  
atque vnicum charitatis simbolum suis militi-  
bus dedit, concionatoribus commemoranda  
prætero. Quanquam haud scio an cuiusquam  
verba concionatoris magis vos commouere  
debeant, quam mea, qui protinus hinc ad ea  
loca demigro, de quibus illam multa prædi-  
cat. At istud tantum à me rogabimini, vti vobis-  
cum reputetis altera haru factionu partem cog-  
natos mihi, altera affines esse, vosque ipsos  
inuicem aut sanguinis vinculo aut affinitatis  
coniungi: quæ necessitudo iuncta sacramento  
coniugi, si Christi instituta tantum haberent  
ponderis, quantum apud Christianos habere  
deberent, atq; vtinam certe habeant non mi-  
nus momenti ad conciliando animos, quam  
ipsa sanguinis ratio contineret. Tantum prohi-  
beant superi, ne idipsum discordia vobis cau-  
sam prebeat, quod maxime ad concordiam in-  
citatæ deberet. Evidē nescio quo malo fato  
fiat vt inimicitia nusquam exerceatur infestius  
quam apud hos, quos potissimum aut natura  
aut leges debeat ab omni similitate deterre-  
re. Adeo execrabilis belua est superbia, & præ-  
cellendi cupiditas: quæ quum semel generosis  
illustrium virorum pectoribus irreperitur, non  
antē desinit disidijs cuncta turbare, quā cedi-  
bus omnia & sanguine permiscuerit, dum quis-  
que primum summo proximus esse, moxque  
equari, postremo præcellere contendit. Qui  
tam improbus ardor gloriae hoc in regno  
proximis his annis quantum suscitauerit in-

cendij, quantum stragis ediderit, vtinam tam  
facile Deus obliuisci velit, quam nos reminis-  
cimur. Cuius mala si priuato mihi tam animo  
precipere & præ cogitare licuisset, quam re ip-  
sa postea maiore meo dolore, quam volupta-  
te sum expertus, disperream, si flexis poplitibus  
exhibitum honorem tam multis hominum ca-  
pitibus redemisse. Sed quādo facta quæ sunt  
infesta esse nō possunt, qua ex re ante tam mul-  
tum damni acceptum nouimus, ea ne porro  
accidat danda sedulo opera est. Omnia iam pa-  
rata sunt, & spes est perfore prospera sub libe-  
ris meis, cognatis vestris, si neque illos vita de-  
stituat, neque vox concordia: quarum si prou-  
sus alterutra sit carendum, profecto in illis mi-  
nus iacturæ fuerit. Quibus si quis communis ho-  
minum sors attulerit, Anglia tamē facile in-  
ueniet reges, illis nulla fortassis parte deterio-  
res. Verum si vos in pueri regno discordia oe-  
cupet, multi nimirum viri boni atque egregij  
videntur ante perituri, vt pariter ipsi nec prin-  
cipe interim tuto, & vobis ipsis in primis peri-  
culo obnoxij, quam populus intestina semel  
seditione scœuiens in pacem rursus ac concor-  
diā redeat. Vos igitur ratione hac, quā ho-  
die vobis cum postremam mihi video habitu-  
rus, hortor, obtestorque per amorem illum,  
quem ego semper haec tenus erga vos, quæ vos  
vicissim erga me, quem Deus erga nos omnes  
habuit, ex hoc tempore condonetis, & remis-  
sis offensis omnibus vos amore mutuo com-  
pleteamini: quod ego vos profecto factu-  
ros cōfido, si vos oratio vlla aut Dei aut prin-  
cipis, cognitionis, patriæ, aut vestre denique  
ipsorum salutis commoueat. Hac vbi rex lo-  
cutes est, haud diutius sustinens se, in dexterum  
latus recubuit facie ad proceres versa  
quorum nemo erat qui à lachrymis tempera-  
re potuerit. Cæterum verbis eum quantum  
quisque poterat cōfisolati, tum ad rem quæ pla-  
citura sentiebant respondentes, veluti icto for-  
dere in morientis gratiā regis manus inter se  
iunxerunt, quum vti paulo post apparuit ani-  
mis longe desungerentur. Defuncto rege, fi-  
lius natu maior Lōndinum, vtpote regiam vr-  
bem, petere maturat, qui viuo patre, Ludloï  
vixit in Vallia: nam ea deinceps primogenitus  
rēgum, viuis adhuc parentibus propria ditio  
est, quæ quum ab rege prout sita esset, eo ne-  
gligentius habita, in morem prope siluestrem,  
cepta est efferrari improbis hominibus, latrocī-  
nijs, ac casde licenter impunej; grassantibus.  
Eduardus filius eō cum imperio missus est, vt  
presentis authoritate principis facin orosorum  
audacia frenaretur. Moderator pueritiae da-  
tus est Antonius Vodeuilus, cognomento Ri-  
uerus, reginæ frater, vir haud facile discernat  
manti ne an cōsilio p̄tōptior. Tum adhibiti in  
consilium alij, vt quisque puerō proximus ma-  
terno genere fuit. Eam rem ab regina cura-  
tam, quæ suæ factionis opes ab teneris sta-  
tim principis anni firmaret, frustratus tan-

## HISTORIA REGIS

tam eius spem. Richardus praetextum sibi ad eos euerendos, initiumque ad reliquum incepsum suum conficiendum fecit. Nam quorum in illos odium maxime implacatum nouit animosque in se beneuelos, eos partim coram aliis per epistolam ac nuntios exploratæ fidei compellans, admonet re neutiquam ferendā, principem amissō patre, iuuenem ipsis cognatum in custodia & manib⁹ esse agnatorū, allegatis propemodū ipsis, qui neque minus certainū fidē, & longe honoratior pars regij generis fuerant, quā sanguis eius maternus, qui nisi libidini patris vifam aliter esset, p̄ quā erat indignus, qui cū eius atq; ipsorū sanguine misceretur: quos nunc non primos apud regē esse, neq; illi honorificē, neq; sibi tutū, vt quorū permagni referat, haud quaquā pati emulorū suorū potentiam, gratia & fauoribus adolescere apud principē puerū, natura facilē, etatis vitio credulū, nec fatis callentē delatorū calūrias. Meminisse vos, inquit, opinor, patrē eius quanquā annis & rerū vsu maturū tamen eius factionis suasū impulsuque quoquis circuactū, longe profecto magis, quā aut ex ipsis honore, aut ex vsu cuiusquam fuerit, præterquā illorū qui sua ne bona an mala nostra audiū appetierunt, in incerto est. Itaq; si non quorū dā nostrū gratia magis apud regē, quām vlla cognitionis ratio valuerit, paulū certe abfuerat, quo minus aliquot nostrū circunuentos insidijs oppresſiſſent, tam herele facilē, quam oppreſſerunt eū qui regis sanguine haud minus prope aberat. Verū fauentibus superis eo periculo defuncti sumus, sic tamen vt vel maius impēdeat si principis affectus patimur quoq; nostris inimicis libebit impelli: quibus haud difficile sit vel ignorantis iussum ad perniciem nostram prætexere, nisi Deus & veltra vigilantia malitiam eorum in ipsos auerat, qua in re non est quod quisquam nostrum negligentius se gerat ob male sarcinam paulò ante concordiā, quā tametsi simulatē inierint, regis potius affectibus sunt obsecuti, quam suis. Neq; quenquā nostrū tā ve- cordē arbitror, vt multū sibi purēt ei cōfiden- dū, qui ex inimico veteri amicū recētē se pro- fiteatur, nisi quis forte existimet vna hora su- bito coactā pacē, ac ne toto quidē adhuc mē- se coalitā, altius eorū peitoribus infedisce, quā tot annis alte actam ac radicatā inuidiā. His atq; huiusmodi verbis, literisque homines ex se ardētes vehemētius incendit, sed præcipue duos, Eduardū Buxyngamiae ducem, & Richar- dū Haſtingū, ambos fama atq; opibus ce- lebres: sed dux natalibus illustrior, alteri, ex munere quod gerebar, multū authoritatis ad- creuerat, siquidē præficerat eum rex cubiculo suo, quod est apud Anglos perquām honori- ficū. Hīj qui nō tam sibi mutuo bene vellent, quā reginæ, parentibus pariter cuperent male, hacenus facile cum Richardo conspirarunt, vt suorum inimicorum praetextu maternos

amicos principis amolirentur: ita rebus inter ipsos ad hunc modum compositis, quum illos intellexissent tanta manu regē deductūros, vt nihil in eos auderi turē queat ab inter- mibus, fin ipsi contra parent copias, ad manus rem venturam, cuius & semper dubius even- tū est, & quā ab aduersa parte princeps esset, suam, proditionis nomen ac speciem subiturā ingenio eos exarmandos statuunt. Itaq; cu- rauerunt, vt per viros idoneos reginæ per- suaderetur, multū esse periculi in eo consilio, quod depellendi periculi causa inibatur. Nam pacatis rebus, proceribus reductis in concor- diā, animisq; omnī intentis ad excipiēdū re- gē, ac diademate insigniendū, si amici reginæ cogāt multitudinē, inecturos haud dubie me- tū hijs quibus aliquādo simultas cū illis inter- cesserat, ne non tantummodo regis causa, cui nemo discriben intenteret, inuadendi: sin con- gregetur, discordia. Atq; hoc paēto fore, vt hij viciſſim suas cogerēt copias, deinde velut vim repellerēt, illaturos quorū opes quod illa nos- ceret, plurimū pōllerent: qua ex re totū reg- num in armis ac tumultu futurum. Tunc eius dānum omne, quod & immensum expectabat, & magna pars in eos fortasse casura, à qui- bus illa maximē vellet auerti. Omnes ei vni atque amicis eius acceptum relatuos, vt pote quos causarentur priuati odij causa conturbasse rēpublicā, violata per iniuriā concordia, cuius maritus ipsis mortiens author fan- cienda fuisset. His rationibus adducta regina, sic apud Vodelinum fratrē, filiumq; Richardū Graium egit, qui cum in aula principis primas obtinebat, vt illi repudiatio priore cōfilio, præ- fidio supersedētes, regē comitatū modico Lō- dinū deducerēt. Erat in itinere regis Hathptona quē quanquā in vmbilico prope regni sita, tamen alteri eiusdē nōminis oppido, quod ob- iacet australi fredo comparata, Borialis voca- tur. Hanc eodē die, quo rex inde digressus est, Gloncestriæ ac Buxyngamiae duces intrant: ac fortē accidit, vt Vodelinus reginæ frater, quem diximus, ibidem restiterit. Postero mane Stratfordiam iturus ad regem, vbi eam noctem traduxit. Ab Hamptona igi- tur Vodelinus officiosè Ducibus occurrent, ac summa gratulatione viciſſim exceptus: vbi quantum temporis visum est, sermone atq; epulis produxere, dimittitur. Ita delinitus humanitate ducum, vt optima spe plenus, hilariis, atq; animi secūrus iret cubitum. Sed illi qui longe diuersum agitabant animo, quām vultu præ se tulerant, reliquis omnibus se- cedere iussis, Richardū Ruteliffum equitem, & alios qui talibus erant consiliis intimi, retinuerunt, ac discubentes ad mensam de suis in- ceptis in adultā noctem deliberant. Post hanc deliberationem adsurgentēs, mittunt qui multo tumultu comites suos admoneant, vt parēt se, nempe duces tantū non in equis esse. Hoc nuncio excitatus ipsorum comitatus, præsto aderat,

aderat, cum Vodelini adhuc ministri sterteret. Ad hanc effecerant, ut omnibus itineribus oppidi obsessis, nemo sineretur exire. Tum paulo ab oppido longius, qua parte Stratfordiam itur, disposuerant equites, qui si quos forte deprehenderent, fecellisse custodiā, in Hamptonā rursus repellerent. Prætexerunt causam, quasi duces constituerint, videlicet officium suum approbatur, ipsi eo die omniū primi salutare principem. At Vodelinus vbi accepit clavis vndique exitus, facultatē vero abeundi neq; suis neque sibi fieri, rem tam atrocē & non temere, & se inciso ceptam, facta eorum præsentia cum proximā noctis vultu verbisq; conferens, tā magnam paucarū horarū interuentu fieri rerum mutationē magnopere admirabatur. Ceterū quin neque discedere licet, & continēdo se nihil assequeretur aliud quām vt latebras quesiūsse videretur (quod cur opus factū esset nullius culpę sibi conscientis erat) adire duces statuit, & causas huius consilij conscientia innocentia suā fretus sciscitari. Qui vt primum in conspectum venerat, queri illi vltro, atq; accusare cum cōperūt, quod discordias inter proceres fereret, animūmque regis niteretur ab se alienare, perdereque per infidias moliretur: quas ipsi deprehensas merito sunt in authorem regesturi. Mirantem hanc orationem, ac sese purgare conantem, quū ratione causaque deficerentur, ad vim conuersi comprehendunt, atque adseruandū adhibitis custodibus relinquunt. Mox cōcensis equis Stratfordiam contendunt, ac regem reperiunt parantē iā tū discedere, ideo vt fertur vt oppidū vniuersis angustū, liberū illis relinquaret. Dimissisigitur equis, præente lōga stipatorū serie, vbi ad regē proprius vētū elt, scindēte se in partes comitatu, per medios ordines perrexerunt, ac se dimittentes in genua principē reuerenter salutauerunt. Quos ille contrā porrecta manu de terra leuatos amabiliter complexus est, nihil etiam mali aut resciscens aut suspicās, quū illi nihil cūctati, aut eius reueriti præsentia, Richardo Graio fratre eius vterino mouere lītē occipiunt, calumniantes illū ac Germanum eius Marchionem cū auunculo Vodelino coniurasse aduersus suum sanguinem, decreuisseque circumuentis atque sublati fraude nobilibus, regis pariter ac regni sibi procurationē arrogare. Atq; eā ob rem protinus ab defuncto rege Marchionem in arcem Londinensem irrupisse, atque expilato regis aerario stipendum in milites elargitum, quos in classē ad confirmandas illius factio- nis opes coēgisset. Ita rem quā gnari erant cōmuni consilio decretā, regisq; plurimū reīque publicā retulisse vt fieret, illi per calumnia inuerterant, ne nihil esset quod dicerēt. At princeps Graium parantē respondere præueniēs: Quid fecerit, inquit, Marchio, quanquam nihil mali spero, tū quoniam nobiscū non fuit, certo non possum scire. Verum quod ad fra-

trem attinet, Graium atque auunculum Vodelinum, innocentes hercle illos facilē p̄fsta-re possum, vt qui non vsquā à nostro latere iā diu sunt digressi. Non dubium est eos, inquit Gloucestriæ dux tēm sceleratum propositum optime princeps, sedulo te celasē, nec plura locutus manus iniecit in Graium, ac Thomam Vaughanum equitem, reginā cognatū. Graius vt erat & animo generoso, & non impro-cero corpore, commotus p̄fcente periculo, manū capulo admovit. Tūncrepitū à quodā admonente serum esse hunc eonatū, concidēs animo manum retulit, & se capiendum dedit. Ergo regem retroagūt Hamptonā, vbi de integro consultant. Ibi quos volunt è ministris regis exauctorant, substituuntque quos ipsis magis quam illi lubebat. Quibus rebus grauerter offensus quum prohibere nō posset, quod solum potuit, fleuit. In prandio Gloucestriæ dux è suis ferculis vnum Vodenilo misit, iusso dapifero, vt solaretur eum, iuberetque ducis nomine vt bono esset animo, neu dubitaret huius tumultus facilem exitum fore. Ille gratijs actis orat ministrum idem ferculum ad ne-potē ferret Graiu, eumq; tali nuntio recrearet, quem vt fortunā aduersā infuetum eoū, pau-lo iniquius ferentem, magis egere consolatio-nis arbitrabatur. Sibi vero s̄p̄ius vtrāque ex-perto, aduersam minus nouam videri. Ceterū Gloucestriæ dux post tam officiosam cō-solationē, captiuos omnes, aliqui aliò ablega-uit in carcerem, atq; inde haud multo post in quoddam oppidum, quod Pons fractus appellatur, ipsius iussu adducti capite plectebantur. Sed nocte quæ eū diē sequebatur, quo hāc Stratfordiæ gesta sunt, trepidus ad reginam nuntius venit ad occidentale cōenobium, tri-stia omnia atque atrocia denuncians, captū à patruo principē, retroq; vi abductū Vodenilū, reginā fratrem, ac Richardum Graiu, tum alios amicos eius comprehensos atq; ab-legatos, incertum quō: tractandos incertū quo modo. Mutatā rerū summā, euersa concidisse omnia: proinde occupandum ipsi tempus, ac sibi reliquisque suis fortunis, dum liceret, con-sulendum, ne properè accurrentes aduersarij reliquias interciperent. Hoc nuncio exanima-ta regina, calamitatē tā insignē, tantā, tam in-speratam filiorum, amicorū, ac suā ipsius inge-miscens, ad hāc damnans ac detestans consi-lium suum, que principis dimittendū p̄f- dium suaferat, pauida ac trepida ē palatio suo se in cōenobium proripit: erat enim asylum il-lud qdib⁹ palatinis contiguum. Ibi se ac mi-norem filium, & filias quatuor in abbatis do-mū cū familia sua coniicit Missus est eadē no-cete minister ab Hastings cubiculario ad Ebo-racensem Archiepiscopū, qui & ipse haud lon-ge ab occidentali cōenobio habitabat, qui mi-nistris episcopi narravit sibi à domino manda-tum, ne quieti p̄fulis parceret, tanti esse mo-menti quod afferebat. Illi magnitudinem ne-gocij

# HISTORIA REGIS

gotij ex festinatione aestimantes, soporem domini haud cunctanter intertrumpunt. Is intro missio ad puluinar nuncio, quū auersum retro principē, & captiuos eius cognatos accepisset, immani tanta rei atrocitate perculsus oblitus puit. Tū nuncius: iubet te, inquit, dominus meus reuerende pater, animo bono esse, actibi pollicetur salua fore omnia. Abi, inquit ille, ac renuntia, quamuis bene futura sint, nunquā tamen tā bona fore quam fuerunt. Tum eo dimisso protinus excitat familiā, & stipatus suis, appenso ad collū sigillo (erat enim Cancellarius) recta contendit ad reginā, ibi plena repperit cōlternationis, luctus, paurois, ac tumultus, omnia trepidari, fletinari, conuehi in asylum ē palatio, scrinia, sarcinas: Ocio sum neminē, imponentes alios, alios deponentes onera, alios depositis quæ pertulerant noua petere: Effringere alios medium parietem, qui solus ab asylo palatium dirimebat, vti viæ cōpendium fieret: nec deerant (vt accidere fere in tali tumultu solet) qui alio quedā quā quō destinabantur, efferrent. Reginam videt humi sedentem, solam, tristem, atque attonitā, complicatis digitis suam, suorumq̄ fortunā complorantem. Solatur eam episcopus, hor tatur ne præsentibus rebus deiijciat animum desperatione meliorum, sibi factam spem rem haud perinde atrociter cessuram, ac ipsi finge ret malignus rerum interpres timor. Addit quo magis eam confirmaret authorē esse spei suę nūtio ad se missō cubiculariū. Ach pereat, inquit illa, Is enim princeps est eorum, qui odio implacabili in sanguinis mei perniciem incumbit. Tum ille: Regina inquit, erige animū. In hanc rem fidem hic tibi altringo meā quo die aliū quenquā illi in regem creauerint, quā siliū illū tuū quē habēt secū, nos postridie istum alterū quē hic tecū habes, hoc ipso in loco diademate insigniem'. Quod quo minus du bites, en hoc sigillū, quod meā fidei princeps illustrissimus creditit, maritus tuus, tibi iā in manus trado, & simul hæc dicens, sigillū reginæ tradidit, & priusquā illuxit, abiit domum, quum iam ē fenestra despiciens, vnde illi pro spectus erat in Thameſim, persultari totū flu uium cymbis videt, asylum videlicet obsidente ducis Glocestria satellitio, ne quis eo per aquam transfugeret, aut inexcusus præteruer heretur. Iā continuo res dispargi, toti populo in ore esse, stupere omnes, ira, metu, ac merore cōpleri, cōglobari alij alibi in armis, turmatim volitare diuersi, atq; inuicē minitantes, prout quoſq; partiu studiu aut periculi formido copulauerat. Ad hæc vt odio quisque aut fauore ferebatur, ita eleuare alij verbis inuidiā facti, alij aggrauare oratione nitebatur. Tū ne quid Londinum detrimenti caperet, excubari à ciuibus ceptum, quum & proceres iam quicunque aut in vrbe erant, aut non longe aberant, diuerse de his rumoribus ac tumultu multa diuinabant. Sed Eboracensis episcopus ve-

ritus ne leuis ac præcipitis consilij videretur iniussu regis sigillum tradidisse reginæ, priusquam in consilium iret, quo factum tegeret, sigillum ab ea receperat. Ibi factum illud ducum plerisque incessentibus, atque odiose interpretantibus, tanquam priuatę similitates structis in principem insidijs prætexerentur, Hastyngus contra (quem nesciebatur huius facti conciū esse) suam fidem, quam perspectissimam habuerunt omnes, pro ducibus interponere, nihil aduersus regem cogitatum, positos ab hijs in custodiam eos, à quibus sua salus impedita credebatur, rectēne an secus ver strum erit iudiciū inquit, quorum exmiani referuant eos hi qui nihil merentes, se tamen laſos ab illis esse conqueruntur. Cæterū eā litē vos aut iudicabitis vestro arbitratu, aut cōponetis, tātū ne quid re incognita statuatis, & priuatas cōtrouersias in publicā seditionē atq; intestina bella vertentes, eo rem deducatis vt irritatis animis, interturbata coronatione principis, quem hue eadē causa comitantur, componi res & redintegrari nō possit, in quo certamine si cætera paria essent, tamen ius & authoritas maior in illis castris sit necesse est, in quibus princeps erit. Hęc oratio ob cognitam veri fidē magnā habuit vim ad cōmouendum sed multo maxime tumultuantes animos cōpredit imminens aduentus regis, quē comitatu magnifico duces admodū reuerenter habitū Londinū versus producebant. Cæterum quacunq; ibant, rumorem disseminandū curauerūt, molitos qui in vinculis erant, primū ipsos deinde alios ē proceribus per vim oppri mere, atq; ita sibimet viā struere, qua regē patriter & regnū sibi subiacebent. Cuius commētī quo fides plebi fieret, aurigę, atq; alij ducū mānistri, qui cum præsidio impedimenta sequabantur, ostentabant vndique captam supellecilem, dolia quædam armorum plena, quæ ipsis, quū trāſferreretur aula principis, necesse fuit aut auſerre, secū aut abijcere. Quod quāquā satis scirent, tamen per malitiā dissimulatēs, quū ea paſsim tanquā manifestarij criminis argumentum oſtentarent, inclamauerūt: En arma ipsa, quæ proditores iſti in dolia clā abdiderant, vt duces atq; omnes nobiles per infidiles obruncarent. Hoc commētū, tamētsi prudentibus rem suspectiore reddidit, facile cōiectantibus eos qui tale facinus animo destinassent, corporibus potius arma fuisse gesturos quā vinclā atq; impedita congesturos in dolia, simplici tamē ac rudi populo mirum quā satisfecerit, adeo cōspectis armis, velut certa atq; explorata proditione salus vndiq; du cibus, suspensiū captiuis acclamatū est. Quama rex aduētare proprius nunciaretur, senatus vrbiſ cum magno ciuium numero progressi obuiam quatuor ab vrbe millibus occurrerunt. Ita princeps honorificè exceptus, procerum ac ciuium celebri pompa ciuitatem est inuenetus, quarto die Maij, Anno regni sui primo,

codemq;

codemque ultimo. Sed hac honoris magnifica specie, vultuq; in obseruantiam principis cōposito Clocestrię dux ē summa inuidia ac suspitione, quibus paulo ante laborabat, in tantā subito charitatem omniū, tantāque integratit opinionē venit, vt vñus omniū protector regis, regnique eius, consensu procerū renunciaretur. Itaque sine id infictia factum, siue fatto, agnus certe consulto in lupi fidem creditus est. Mox Eboracensis episcopus acriter increpitus quod sigillū reginæ tradiderat, administratione priuatus est. Eo munere inautoratus est Rusellus, episcopus Lincolinensis, vir & vñu rerū, & vitæ probitate singulari, tum in literis haud dubie sua tempestate primarius. Igitur vbi protector effectus est, quanquā singuli ei dies longiores videretur, qui moræ impatientem cupiditatē eius moraretur, audumq; quam primū re ipsa usurpandi regni, quod animo iam ante inuaserat, tū haud remere quicquā censuit antē tentandū, quam reliquā prædæ partē in nassam pelleixerat: haud ignarus fore, vt si alterū fratrem priuaret imperio, in alterum protinus euehendū vniuersorū studia incüberent, siue permaneret in asylo, siue, quod multo metuebat, magis extra Britanniam aliquō transmitteretur. Ergo in proximo conuentu procerū grauiter incusat reginā, odiosè ab ea factū, quæ vnicū & charissimum à principe fratrem distineret, tanquā utrique inuidiat dulcia illa mutuæ consuetudinis oblectamēta: in illū vel magis impia, cuius potissimum curam præsefert: quippe quē libertati subductum, ab luce ac splendore clarissimæ fortunæ suæ detractū in asylum, misere velut in tenebras & squalorē abstrudat. Nec horū quicquā alia causa patratū, quā vti nobilibus qui regi à cōsilio sunt acris apud populum concitaretur inuidia. Adeo ei odio esse eos, vt vel cum liberorum dispendio suorum, quod de Medæa ferunt fabule, vlcisci quos odit ardeat. Alioquin enim quorū in asylo puerū, inquit, nisi quod videri vult populo vos aut parum fideliter, aut non satis sapienter prospexisse principi, si periculum sit eius mihi fratrem credere, cuius ipsum corpus mihi vos alendum tuendumque credidistis? Cuius incolumentashaud mihi certe fulciri satis villa vixtus cura videtur, nisi ludi quoque voluptas accesserit: quæ mirum in modū pueriles spiritus reficit vegetatq; nec eā potest molles puerorum æras ab senibus capere. Blandus adhiberi collusor debet, qui neque annos eius supereret, neque multum ètate illi sit inferior, tū qui ad eius nobilitatem accedat proximè. Ita simul ætatis habebitur, simul maiestatis ratio. Quis igitur omnibus partibus accommodatior quā germanus frater, quem nūc deterior nouerca mater abstinet? Si quis hæc leuicula sentiat, quod ego certe nemini vñsum iri puto, cui salus principis curæ fuerit, is sic habeto, maximas interdum machinas consistere, nisi

minorum adminiculo nō posse. Ad hēc quām istud nobis regni huius proceribus in honestū, quām ipsi regi inuidiosum omnium per ora, non in hoc regno tantū, sed apud exteris etiā gentes iactari (vt cito peruolat malus rumor) fratrē eius eo necessitatis adactū, vt florētibus illius rebus ipse in asylo delitescat. Neq; enim temerē quisquam credetur in antrum feso abdere, cui citra periculum liceat in luce ac liberte viuere. Hac persuasionē vbi semel animis infederit, haud facile euellas postea, manisque in malum crescat denique quam deuinare facile quisquam possit. Huic igitur pēsti quo propere eatur obuiā virū aliquē ætate grauē, atq; authoritate pollentem mittendū ad matrem censeo, eumq; cui & regis honor & ordinis huius fama curā sit, tum cui apud eā sit & amoris nō nihil & fidei. Quibus oībus de causis nemo circumspicienti mihi magis occurrit idoneus quam reuerendissimus iste pater (aderat, enim) Cardinalis, qui solus mihi sua prudentia videtur rem conjecturus, modo ne labore recuset: non recusaturum autem spero vel regis causa vel nostrā, vel ipsius ducis nepotis mei secundū principem ipsum charissimi: Quibus omnibus si id quod spero reginæ recta persuaserit, non facile dictu fuerit quantum admet molestia. Cæterū ea si incepto prauo, mulierib[us] pertinacia sic institerit, vt ab libidine animi ad verum flecti nulla tanti patris neque autoritate neque consilio neque fide polsit, ego certè author fueri ex edicto regio è cōtobio eximendi eius, ducendiq; in felicissimum regis contubernium apud quem adeo honorifice excipietur, vt omnes intelligat eā cū filium in asylum clauderet, vel malitiam à consilio, vel stultitiam habuisse. Hæc mea est hac de re sentitia, nisi vestrum quisquam contraria sentiat. Neque enim vñquam vñque adeo mea mihi ratio blandietur, vt non paratus sim cuius vestrum rectoirā cōsulenti parere. Huic orationi nobiles ferè quotquot aderant suffragabatur. Cardinalis, atque episcopi reliqui, cætera assensi, tantum inuita matre nihil audiendum censebant, neque vim adhibendam si forte verbis minus obtemperetur. Rem enim videri superis, hominibusque inuisam, tantæ vestitatis asylum tā religiosum temerari, quod reges ac pontifices tam boni instituerant, tam multi ratum sanctumque habuerant: atque ei loco inferri contumeliam, quem locū Petrus ipse, princeps Apostolorum, magno superiore choro comitatus, olim tā peculiariter Deo, sibiique dedicauerat, vt per tot retro secula neque rex tam audax fuerit quisquam, qui non sit veritus violare neque tam religiosus episcopus, qui sit ausus consecrare. Nullo ergo pāsto me autore, Cardinalis inquit, sancti loci imminuetur immunitas, qui tam multis miserè alioqui perituriis tā sēpe fuit prēsidio. Sed neq; necesse erit spero, verum quantumvis etiam necesse fuerit, non faciendum censeo. Evidem spes

## HISTORIA REGIS

spes est reginam audientem rationi fore, quod si minus succedat è sententia, ipse tamen sedulo conabor, vt facile omnes intelligat nō meā industriā defuisse negotio, sed maternā indulgentiam, ac muliebrē potius metum obstatissimā. Muliebrē metū, inquit dux Bukyngamiae, imò peruvicaciā mulieris inuitā. Nam hoc ego vel quo quis pignore ausim certare, nihil illam prorsus vel filio timere vel sibi. Quis enim bellū sibi sumat cū fēmina? Quod si mares quoq; sanguinis eius aliquot fēminæ essent, melius profecto fēse res habere. At. Quanquā nec nūs quidē reginæ cognatiō fraudi est, sed ipsorum compositus ad seditiōnem animus. Cæterū vt maximē nobis ipsa, cognatiō; eius, inuisa foret, non posset tamen charus non esse frater principis, nempe cui nos ipsi cognati sumus, cuius verē conseruandi si tanto studio, quanto nobis incommodandi cupiditate duceretur, non minus libenter illū ex illis latebris educere, quā nūc abdere ac vincere studeret. Nam si quid saperet, haud quaquā sibi plus tribueret quā quibusdā nostrū, de quorum fide noi dubitat. Sed vere persuasum habet filij sui salutē non minus nobis curā esse, quā sibi: cui quo magis bene volumus, eo minus esse apud illā ferre debemus, si illi penitus constitutū fuerit in asylo continere, contraque nemini nō placere arbitror principis curationem parenti cōmitti, modo inducat animū ibi viuere, vbi versari neutri sit indecorum. Quamobrem si in reddendo filio eorum confilia aspernetur sequi, quorum neque ambigua prudentia est, neq; incerta fides, quis non intelligat facilē cā hucusq; progressam odio nostri magis quā met' fui? Quod si adeo meticuloſa sit, vt ex animo metuat quod nūquā est? Quis enim prohibere queat, quo minus vel vmbra horreat suā? Certe quo ea magis filiū nobis timet cedere, eo nobis contrā iustius timendū est puerū illi relinquere. Etenim si tam vanos metus concipiāt animo, vt filio periculū esse singat, profecto vt est metuentium sollicitus animus ne asylo quidē satis fidet. Nā si id cogitet, adeo immanis quēpiam animi esse, vt puerō innocentī nocere studeat, aut tanta feritate, vt neq; huic superū timor, neq; hominū pudor à flagitiō reuocet, facile eiāsyli nomen leue ac vanū esse videbitur. Itaq; falsa suspicione periculi subigitur animus, munitum aliquod firmitius extra regnū querere. Quin nūc quoq; quanquam nūihil tale metuētem haud dubito tamen hoc ipsum tam illam animo agitare, vt faciat, quām nos contra ne faciat. Que si tam improbum facinus muliebri temeritate patraverit (patrabit enim facile oscitantibus nobis) omnes vbiq; mortales prædicabunt, dignoscilicet nos qui principiā consilio simus, cuius germanū fratré per recordiā sub oculis nostris perire patiamur. Ego igitur illustrissimū ducem, dum licet, vel inuita matre, censeo eximentum potius, quām tantisper ibi relinquē-  
 dum quoad eum mulieris mala mens prætex-  
 tu metus emittat in periculum, nec asyli tamē  
 immunitatem vlo pacto violari velim. Quæ  
 quoniam vires ab vetustate cuperit, non ego  
 is sum qui suadeam infringendam. Contraque  
 si integra res esset, non suaserim instituēdam.  
 Neque tamen infiōr benefactum ac miseri-  
 corditer, vt quos naufragium, aut male ex-  
 puncta nomina, aliaue quēpiam fortunæ vis  
 aduersa fecit inopes, his aliquis aperiatur por-  
 tus, qui corpora faltem integrā præstet à cre-  
 ditorū saevitia. Ad hēc si regni titulus, quod  
 non semel accidit, in questionem veniat dum  
 armis de iure decernitur, atque alteri alteros  
 habent proditorum loco, non displicet aliquē  
 locum esse ad quē vtriq; confugiāt, vbi dubijs  
 aut affictis rebus, pendente adhuc victoria,  
 sint in tuto. Cæterū furibus ac latronibus, qui-  
 bus ea loca plena sunt, quique semel eiusmodi  
 flagitijs imbuti nunquam resipiscunt postea,  
 facinus est profecto asylum vllum præsidio  
 esse, multoque magis homicidis, quos ab aris  
 ipsi sculli, maectariq; iussit Deus, maximē si ad  
 crimen accesserit. At nisi consulo peccatum  
 sit, nec opus quidem apud nos asylo est. Nam  
 si quem in alterius necē aut necessitas armauit  
 aut impulit casus, eius delicti aut veniam lex,  
 aut princeps gratiam facit. Numeret aliquis  
 nūc quam raros in asylo comperiat, quos il-  
 lic fauorabilis aliqua necessitudo compulit:  
 contrā quanta illic affluit turba perditorum,  
 quos alea, luxus, ac libido exhauserit. Præ-  
 rea latronum sciciorū, sectorum homicidarū  
 atq; immanium proditorum, quam tetra atq;  
 horrenda colluuiies in asylym, velut in pesti-  
 lentissimam sentinam cōfluxerit: idque potis  
 simū in duo, è quibus alterum est vrbī propin-  
 quum, alterum in ipsiis vrbis visceribus collo-  
 catum. Ausim profecto confirmare, quisquis  
 asylorum commoda comparat cū incōmodis,  
 cū pronūciaturū poti, quāt tot incōmoda  
 perpetiēda sint, multo fore cōmodius ipsi etiā  
 cōmodis caruisse. Atq; hoc affirmo sic habere  
 se, vt nō accedat alia, in quibus ad perniciē bo-  
 norū hoīes flagitiōfissimi indies magis ac ma-  
 gis abutūtur asylyrū licētia. Nā nūc iuuentus  
 improba non alia causa liberius, quam horum  
 fiducia locorum, profundit, perdit, abligit:  
 quin editores aliquot eo prouolant cū tenui-  
 rū bonis. Ibi edificant, epulantur, oblectat se-  
 se, creditoribus interim impunē illudentes. Il-  
 luc vxores fugiunt cum suppelleatili maritorū  
 duritiam eorum libidini suā prætexētes. Illuc  
 fures conuehant quæ furtō fustulere: ibi quo  
 inde vivunt ac triumphant. Ibi noua latroci-  
 nia machinantur: inde quavis nocte prorepūt,  
 furantur, occidunt, & commissio facinore re-  
 uertuntur, tanquam loci reverentia non tue-  
 retur modo eorum vitam ad pénitentiam ante  
 aetorum scelerum, sed nona quoq; designa-  
 di licentiam indulgeret. Quanquam, si viri  
 prudentes admiteretur, bona pars huius malī  
 facile

facile tolli posset: Idq; cū bona diui Petri gratia. Reliquum quā nescio quis pōtifex ac princeps misericordes magis quām prudentes instituerunt, & ceteri deinceps religioso metu pertulere, nos feramus censem quatenus feret ratio, quā nō eo vīsq; suffragatur asylo, vt nos prohibeat illustrissimū inde ducem ipsius bono producere. Cuius loci priuilegium nullū in eo locū habet: ego certè hunc asylorū verum ac natuū vsum esse semper sum arbitratus, vt eorū corpora tuerentur, quos alioqui maneret malum tum magnū, tū in primis meritum. Nam vt declinetur immeritū, non est cur implores peculiare cuiusq; loci priuilegium. Etenim ne cuiquā vīsq; inferatur iniuria, eā immunitatem leges, mores, natura cuiq; loco ex quo tribuūt: nisi quis aliquē nouit locum, in quo maleficia fas es̄l perpetrare. At vbi ab ipsa lege periculum est, ibi verò præsidium à priuilegio petendum est: indeq; ego malum natum altumq; asylorum vsum putem. A qua necessitate illustrissimus iste dux abest procul. Cuius fidem erga principem sanguinis necessitudo probat, cuius erga reliquos omnes innocentia tenera declarat infanta, ne quis illi opus asylo putet, in quod ascribi nec potest quidē. Neq; enim ad asylū sic, quēadmodū ad baptismū, cōfigitur, vt susceptorū cōpatrūq; vicaria voce beneficiū impetreretur, sed cuius bono datur, ipse supplex flagitet, ac precetur oportet. Idq; adeo merito cū cōpetit nemini, prēterquā ei cuius mens facinoris cōscia indigū egentēq; talis auxiliū facit: Quā ergo voluntatē habet ille puerulus, qua sibi inutile munimentum ab asylo postulet, qui si eo proueheretur ætatis vt vsum eius loci posset intelligere, profecto non parū irasceretur ijs qui illic manēdū ei suaderēt. Vnde nunc eximere nō repugnātē vīsq; adeo nihil mihi videtur formidandum, vt in eos quoque quibus verē asyli ope opus est, aliquātū tamē magis audēdū quā solemus censemā. Nā si quis eo subducatur se cū alienis bonis, quid ni regi licet à fugitiuo ablata domino reddere, sine vīlo priuilegiū præiudicio? Ea verba ferē qui ē clero aderant, siue assentabantur duci, siue ita vere sentiebāt, cōfirmavēre. Sic diuino iure cautū, vt obæratorū bona in asylū confluentū dispartiantur creditoribus, relicta tantū libertate corporis, quorū labore viētū quāritēt. Credo vos, inquit ille, verū dicere. Quod si mulier eo transfugiat per tēsa mariti, fed tanquā perterrita, mihi certe videtur inoffenso diuo Petro maritus ē medio Petritēplo coniugē iniecta manu protractur. Alioqui si nemo inde deduci potest, qui se dixerit ibi manere velle, certe puer quispiam qui à präceptore fugerit ibi relinquendus est. Quod exēplū quanquā leue vt est videri possit, tamen hæc nostra causa est aliquanto leuior. Nā illie quanquā puerilis metus est, est tamen aliquis: at hic omnino nullus est. Et profecto antehac sepe viros asyli immunitate vlos

audiui, sed pueros nunc primū audio. Quamobrē vt aliquando finiā, quisquis id facinoris admirerit, vt opus ei asyli ope sit, is ibi maneto. Sed hic illustrissimus dux ibi dimittēdus nō est qui neq; ætatem habet, qua posſit istud petere, neq; malitiam, propter quā posſit promerēti: cuius neque vita, neq; libertas venire in discrimen vīlo iure potest. Per iniuriam vero prope minus potest, fratre rerū summa potentia: ipse opibus potens, amicis etiam potentior, quippe patruo clarissimo, nobisq; omnibus in salutē atq; incolumitatē eius incubētibus. Postremo qui ex asylo quēpiā ipsius bono cōmodoque protraxerint, etiam si vim fecerint, hos ego tam asylo vim fecisse pernigo. Huic ducis orationi cum laici quotquot aderant, tū verò clericorū pleriq; nihil etiam mali suspicantes asfensere, eoq; discessum deniq;, vt in redderetur vītro, vi deducendus ex asylo videretur. Cæterū verbis ante vīsum est quā vi experiēdum. Cardinalis ergo ē consilio in asylū rectā contendit, vnaq; aliquot ē nobilibus, siue dignitatis eius viri habita ratio est, siue protector hoc respexit, vti ex tot præsentia procerum regina colligeret nō ex vnius esse hominis sententia quod tum agebatur, siue ne ausus quidē est tātā rē vni credere. Quanquam suspicantur aliqui, si regina, quod expectabatur, filiū obstinate pernegare pergeret, mandatū seorsim fuisse quibusdā ē comitibus illicet vt inuitā per vim eriperent, neu tēpus alio amandandi darent. Cuius rei consiliū post eū sermonē habitū agitatura videbatur, modo ad id suppeteret spatiū. Igitur vbi mutuo in conspectum venēre, Cardinalis exponit rem atrocem videri nobilibus, vnicū regis fratrē ab eo seūctum, ab illa velut in carcere adseruari: quo ex facto vt nihil super ipsorū infamiam queratur, consequitamen & conflari apud exterā omnes gentes inuidiam, ipsi nimirum principi, cuius germanus vnicus narretur in asylo delitefcere, ne patria quidē interim exēpta calumniæ, tanquam populū tam immanē gignat & efferum, vt fratri etiam à fratre immineat periculū. Proinde ad eam ab rege, proceribusq; missum, vt pro sua in eā fide atq; amore rectā & salutaria consulteret. Eius generis in primis esse, vt ducem emissum ex illis latebrarum angustijs augustissimae principis aulæ, iucundissimo fratri contubernio redderet: Id si ita fecisset, & regni rebus publicē, & amicorum communiter, & priuatim suis recte consulturā. Sed regi in primis atq; etiam duci per quam rem gratam facturā, quibus maxime commodum sit iucunde simul vivere. Ad hæc regina: Haud equidē negarim inquit, honorande patēr, optandam filio huic meo conditionem esse quam affers, vti videlicet perpetuo cum rege versetur, & conuiuat fratri: cæterum contra quoq; rem ego neutri parum incommodam censuerim, si ambos aliquot adhuc annos tueretur, atq; cōducaret mater, cōstimate vtriusuis ætatula, sed huius præsertim

## HISTORIA REGIS

fertim minoris, cui præter infantie teneros annos (quæ & ipsa curæ nō oscitantis indiget) febris etiā neutiquā leuis accessit, cum qua diu conflictatus, adeo nuper potius remissius egrotare cœpit quā reualuit, vt ego nemini mortaliū omniū eū audeā præterquā mihi vni credere. Quandoquidē & rerū medicarum periti aiūt, quod vel tacentibus illis quotidiana probant pericula, ne minē in morbū nisi duplicato periculo recidere. Opinor quod priore conflitu fatigata natura minus recentes vires ad secundos congressus adfert. neq; diffido tamē inueniri posse qui sint ad salutē eius partes suas diligenter obituri. Sed neminē vsquam esse reor, cui aut penitus exploratum sit quid eius natura ferat postuletq; quām ego, quę cū eo frequens & assida semper vixi: neque qui vel minus remissē, vel magis indulgēter puerū sit curaturus, quā mater. Ad hæc Cardinalis: Nemo, inquit, ibit inficias regina clarissima neminē vsquam esse, qui viua te sit accommodatior tuorū vītē liberorum ilthac præfertim ætatula moderandæ, neq; procerū quisquam est omniū, qui non ambos optet in tuis manibus oculisq; potissimum enutriri, modo tu adduci posses eo in loco viuere, qui & illorū amplitudini maximē cōueniat & minimē alienus sit à dignitate tua. Sin tibi ipsi persuaseris in hoc asylo delitescēdū, cōmuni omniū sentētia iudicatū est, longè magis ex vītu esse ducis cū regeliberū in dignitate ac splēdore viuere, vtriusque bono ac cōmodo, quam cū illius danno, huius inuidia, certe vtriusque dolore misseram tecum vitam in latebris & squalore ducere. Neque enim vsque adeo necesse est puerum aēducari à matre, vt non interdū incidat occasio, qua alibi eum ali præstet. Nam & quum olim charissimus filius tuus tunc designatus rex profecturus esset in Valliam, sui, patriæque commodi causa, procul abs te viētrū memini eam rem pro egregia prudentia tua te quoque ipsa approbante fieri. Non admodum approbante, inquit illa, neque tamen hæc cauſa simile quicquam habet cum illa, cum & alter tunc esset incolmis, & alter nunc infirma valetudine. Quo in statu cum sit cur tam auide conetur eum protector ad se trahere, nequeo equidē satis demirari. In quo si puer (absit omen verbo) citra villam eius culpam periret fato, facile tamen posset in suspicionē fraudis venire. Iam quod rem neque per se in honestā, etiam si abesset necessitas, & nunc tam necessariam vt veniam facile mereatur, etiā si paulū ab honestate deflechteret, ille quod cuinq; proclive est orationis depravat atrocitate, dum piam hanc meam pro filio sollicitudinē tristibus verbis inuadit, metumque meum interpretatur malitiā: neq; mihi natoq; salutē, sed sibi & proceribus inuidiā queri. Hec ego certe non admodū inique fero. Vtinam non maioribus erumnis distringerer, quam vt vacaret verbis commoueri: Neque tamen

satis video, quomodo ipse secū cōstet: nā qui incolmia mihi simulat esse omnia, idem egrē me retinere sustinet vel filium, & qui vbiuīs tutam me esse fingit, is ne ibi quidem finit, vbi & latronibus tutum est quiefcere. Nam quid iniqui habet, me si modo libera sum, vbi mihi licet, viuere: aut cur inuidiosum fuerit puerulum manere cum matre? Nam quod istud minus honorabile futurum contendit tum sibi, tum proceribus omnibus, tum ipsi denique principi: ego certe contra censeo, neminē esse non honorificum ibi ducem relinquere, potissimum vbi sit credibile habitū iri exactissimam salutis suę rationem, quam hoc habendam loco me hic manēte nemo opinor dubitat: è quo non est consilium adhuc exire, neq; in discrimen post reliquos cōsanguineos meos conijcere: qui vtinam hic mecum essent in tuto potius, quā ipsa cū illis foris in vīte verser periculo. Sub hēc verba: Ergo, inquit quidam ex nobilibus, qui comes eō venerat Cardinali, nostin aliquid regina, cur eorum cuiquam debeat imminere periculū? non cur debeat, inquit illa, vt ne cur in carcerem quidem trudi, in quē truduntur tamen. Quamobrem non est quod mirere, si metuam ne qui immerentes in vincula coniecerunt, ijdem ad innocentium perniciē sint incubituri. Tū Cardinalis nutu linguacē illū admonens vt cōticesceret, ac ea in re ne pergeret vlerius, mox reginam super amicoru casu solabatur, nempe excussa & cognita causa nihil fore discriminis, de seipsa vero vanissimum esse quod metuat quippe cui neq; mali impendeat quicquam, neque intentari queat. At istud qui confidam, inquit? Num innocentia conscientia? quasi vero illi nocentes sint. An quod illorum inimicis sim fortasse minus inuisa quibus illi vel maximē propter me inuisi sunt? An securam præstet sanguinis hæc necessitudo cum principe? Sed quanto cognationis gradu absint illi, quibus iam vides quam nihil prodest cognatio, quæ ne extialiter obſtrid mihi vel in votis eit. Quamobrem & ipsa me inter hēc septa continere statui, nec filium hinc emittere, donec spes aliqua affulseit meliorū. Nam illū quo magis impensē quodam hoc agere video, vt tam leuium rerum prætextu in sua potestate habeāt, eo nimirum ipsa vehementius quoque horreo à me amittere. At contra, inquit ille, quo tu regina magis pertimescis amicis eū tam propinquis credere, eo vicissim alij magis metuunt apud te relinquere, ne muliebris iste frustra cōceptus timor in mentē tibi subiijciat, vt aliquo eū ableges lōgius. Sunt qui negant etiā fratrē ius esse tibi à rege diffinēdi, cū nihil ad asyli rationem faciat simplex atque innocens ætas pueri qui neque iudicio præditus sit quo possit implorare, & malitia careat, propter quā illo posset indigere. Itaq; nec infringi quidē cēsent huis loci priuilegiū, si inuite quoq; eū tibi hinc eruptū cāt, quod te obstinatē

obstinatè commodis tuorū, refragāte fortasse facturi sunt. Adeo anxius est protector aman-

tissimus eius patruus, ne tu, dū vanos tibi me-

tus singi, animo in certā perniciem aliquò ei-

mittas puerum. Ita ne, inquit illa, adeo filium

amat meū, vt nihil æquē vereatur, ac ne elabā-

tur aliquò manusq; eius euadat? timeret scilicet

ne emitā, hinc lōgius eū, quē sic affectum nec

possim quidē citra salutis dispendiū, cui adeo

accuratè consulere me quidā nō libenter vide-

ret, hinc ne eū emittere, credo vt in dispositos

in itinere casses immitterem? liceat certe, quod

ad hanc rē attinet in vtrāuis aurē dormiat: Nā

vbi ego illū sperē tutū, si hic desperē? Eſtne vnl-

lus vñquā locus hoc vno ſanctior?, cuius immu-

nitatē nec tyrranus quiskuā haſtenus inuētus

est tā impius, qui nō sit veritus violare? Atque

ego certe confido diui Petri ſanctissimi huic

afyli præſidis numē, nō minus potente vindicē

aduersus afyli ſui violatores hodieq; fore, quā

olim fuit. Sed puerilis ætas priuilegium nō ca-

pit: pulchrè ſclicet, quaſi verō loc⁹ ſi fontes

recipit, in fontes excludat. Nā quod argutatur

afyli beneficio nō indigere puerulū, vñquā non

egeret, nec egeret certe, ſi per ſe tutā eſſet ad-

uersus ſcleratos innocentia. Adeo me protec-

tor (qui ſuperos precor vt protecторē ſe pro-

bet) ſtupidam arbitratur, vt quorūm eius pha-

lerat tēdat oratio nō ſentia? Afyli latibulum

principis maiestatē dedecorat, conciliat infa-

mism proceribus, inuidiā principi, ex vtriusq;

cōmodo eſſe vt coniunctū habitent, maximē

cum princeps egeat collusoris, quod ego ſupe-

ros omnes obteſtor vtriq;, vt collusor obtin-

get felicior, quāis qui callidis cōſilijs prætexit

tam grandibus verbis personatas ineptias, tan-

quam nusquā reperiri poſit qui iocetur cum

prīcipe (ſi modo hoc ipſi vacat) niſi frater (cui

per valetudinē non lubet ludere) ex afylo, id

eſt, extra munitiones ſuas, velut luſurus elici-

tur. Perinde quaſi pueri tantam habeant ra-

tionem maiestatis vt ioco ſint potius quā ad-

mittant impares, aut tanquam ludere niſi cum

fratribus ſuis nō poſſint, quibus id ætatis pueri

minus plerumque oblectantur quam alienis.

Sed puer hic loci beneficium implorare non

poſſet. Quid ſi implorantē audiat? Sed finge

nō poſſe, finge non velle, imo recuſare, imo vt

execat vehemēter instare, tamē quiskuā illū vel

volentē inuita mihi abſtulerit, eum ego planē

contendo ſanctū hoc afyli temerare. niſi pu-

temus vnde ſacrilegiū ſit æquum mihi abdu-

cere, inde fas eſſe abſtrahi filium. Quin niſi me

periti fallunt, filium cui nullū hereditate præ-

dium obuenit, operę cuiquam militaris obno-

xium Angliq; mea matri tuendum credunt, &

quiskuā hinc mihi pupillum abſtrahet meum

inoffensa ſacri loci libertate? Quod ſi neque

meum ius eum tueri poſſet, neq; ille ſuū petere

tamen cū tutela eius ad me pertineat, quis me

nō videt petere eius vice poſſe, niſi forte lex

bonorum tātum haberi tutelā velit, nō etiam

corporis, cuius vnius gratia curat lex ſalua vt

pupillo bona ſint. Quod ſi quid ad obtinendū

puero priuilegium exempla valent, haud lon-

ge peritis indigeo. Nēpe hic ipſe locus, in quo

nūc ſtamus, qui nūc an puerο vñſi eſſe poſit

disputatur, alterū olim filium meū videlicet

ipſum prīcipē & naſcentem excepit, & vagi-

entem texit, & proſperiori fortunā (quā nūc

præcor vt ei ſit perpetua) conſeruauit. Neque

enim quod omnes intelligit, afyli nūc pri-

mum incola ſum, eretto quondam ē regni ſo-

lio, atq; exulante marito meo, grauida huic cō-

fugi, hic regē peperi, hinc reduci ac victori ma-

rī gratulatura prodij, hinc infantē filiū pri-

mis parentis amplexibus obtuli. Cui nūc reg-

nanti vtinam tam tutum palatium ſit quā hic

locus, olim regnante hoſte fuit. Quo ex loco

alterum etiam filium mittere non decreui ne-

que cuiquam vtrumque credere, illi præſertim

ad quem vtroq; deficiente regnum ſucceſſio-

nis iure deuoletur. Nemo timores meos excu-

ſiat maternē ſollicitudinis, fas eſt etiā vana me

tuere. Quanquā ego in hac re nihil ſum pub-

lica lege cauſior quā ſi periti vera narrant ne-

minē vñquā admittit tutorem eius, cuius in-

teritu ſit hæreditatē aliquanto minorem etiā

regno lucraturus. Aduersus quā pérícula cer-

tissimum ac prope vnicū eſt in huius immuni-

tate loci præſidiū ē quo is quē habeo me volē-

te nō exiit, quod ſi quis inuita (quod nō opī-

nor) abſtraxerit ac ſanctissimā afyli religionē

duxerit violādā ego ſuperos eius præſides ob-

teſtor idē vt afyli propediē immunitate egeat:

careat facultate interceptus præoccupatusque

omniū ſacraruſ ſediū prohibeatur adiutū nā in-

gressum extrahi ne inimicū quidē vellē Cardi-

nalis vbi vidit ſe multū vrgēdo nihil promo-

uere ſed illā magis magisq; incēſam. poſteriora

quoq; duriora iacere tristibusq; verbis fidē p-

rotectoris inuadere, quā ille quū integrā crederet

grauatim audit inſimulari. Denique respōdit

haud diutius ſe rem verbis extracturōm ſi li-

beat illi puerum ipſis in manus dars fidem ip-

ſoſ ſuam eum ſaluū & in columem fore obſtri-

tueros. Sin retinere ſciat diſceſſuros ilico nec

verbū addituros amplius in eam remin qua-

vel prudentiam eorum ſuceptam ille vel fi-

dem habeat. Prudentiam ſi rerum ignari &

minus creduli fidem ſi prudentes alienā per-

fidiae adminiſtri putarentur. Sub hæc regina

velut deliſerabunda conticuit, cui cum cardin-

alis ad abeundum paratior reliquias videre-

tur & protector ipſe in palatio adiuet cū ſatel-

litio cogitare apud animū ſuum cepti palam

ſeruari filium in afylo non poſſe, celandi vero

ſpem non eſſe ſubducendo illinc nihil oportu-

nūm cum neque tempus ſuppetet ne-

que quo mitteretur prouifum eſſet imparata

omnia adeo ſecuram nuntius hic oppreſſerat

nihil minus cogitante, quam in afylo inferen-

dā vim cuius nūc obſeffos exitus oēs cernebat

nec vllam puerο elabendi facultatem niſi per

## HISTORIA REGIS

dispositos in insidijs milites dari aliquando contra (vt in perditissimis etiā reb' fieri solet) sperabat non esse fortassis tam inclementē patrui in nepotes animum quām ipsa concepisset deniq; si non vanus eius timor esset certe serū fore. Prēterea cardinalis animū satis exploratum habuit, nec minus compertā nobiliū aliquorū qui simul venerunt fidē quos vt verebatur ne falli possent, ita sibi persuaserat non potuisse corrupti. Igitur si filiū omnino dimissura sit p̄fētare censuit sponte vt illum tradere quām inuita videretur rata fore vti id nnonibil ad conseruādum puerū curā atq; industriam eorum quibus iam tradebatur accenderet si ipsa sua manu filium in eorum tutelam fidē; deponeret. Productō igitur in mediū & constituto coram puero: viri inquit clarissimi neque adeo impudens ipsa sum vestra & prudentiæ dīsidā, neq; adeo suspiciofa vt de fide dubitē cuius meæ fiduciæ id hodie documenti dabo, quod si alterutra desideretur, in vobis æternū sit mihi rei; publicæ vulnus inflicturum. Simul manu puerū apprehendens, En hic quem vultis inquit, meum atq; Eduardi charissimi olim regis vestri filiū, qem ego nō ambigo, nil nisi vobis eū credere statuissim huius loci posse sancta religione tueri. Tamen istud etiā minus ambigo esse aliquos meo sanguini infellos vt si quid eius scirent sanguinis in ipsorū corporibus contineri nō cunctarentur suis ipsorū manibus exhaustire. Ad hæc periculo nostro didicimus quā facile cognationis adfectū omnē execranda regni sitis extinguat: frater fratré è medio tollit, liberiq; per pulso regno, atq; adeo ita parentes ad imperiū affectat, & nepos de patruo securus est. Meorū certe liberorum alter alteri præsidū est, dū seorsim asservat, vteruis incolmis vtrūq; seruat: eoq; nihil periculosis, quā ambos vni cōcredere, mercator siquidē parū cautus haberi solet, qui vni nauiculæ sortē semel vniuersam cōmittit. Tamen hunc vobis in manus do, fratréq; simul in illo vtrumq; vestræ cōmitto fidē: ab iisdē vtrūq; rufus corā Deo atq; hominibus repetitura. Prudentiæ vobis multū inesse scio, fidei plurimū, opū ac potentię satis: nec deerunt qui hac in causa se libēter vobis adiungēt: Vnū tātū per vestrā fidē, perq; mariti mei memoriā, per meā erga filios sollicitudinē, atq; in nos fiduciā vos obtestor, vti quēadmodū ego vobis nimū timida videor, ita ne vos vicissim pl' iusto securi sitis. Statimq; ad puerulū verla: Vale dulcissime, inquit, fili. Superi tibi curatores adhibeant, imo ipsi curam habeant: matrem semel saltē amplectere, atq; exoscularē digrediēs, incertus an idem vnquā licebit: denuo simul os admouit ori, cū cruce eū consignās auertit se, ploranq; à plorante discessit. Quē cardinalis, comitesq; eius exceptum, restā in palatiū, vbi protector cum proceribus corū reditū operiebatur, per dispositos tota via satellitū ordines adduxerunt. Adductum protector

plexus, atq; in vlnas ē terra subuehens, aduenisti charissime nepos, inquit ac domino gratius, nimirū oībus, mihi lōge profecto gratissimus. Tū inde continuo Londinū itur ad principē: diuersabatur is in episcopi palatio, vnde protinus ambo mediā per vrbē celebri pompa faustis vndiq; acclamationibus, & clamantiū vota frustraturis arcē ingressi sunt, vnde nunquā eos pedē retulisse constat: igitur vbi protector vtrūq; puerū petitus esset, maiore fiducia cū alijs aliquot, tū præcipue duci Bukyngamiae, aperit se: quenquā nō ignoro multis vīsum totius eū consilij ab inde ab initio participē fuisse. Protectoris amici quidā autorem etiā eū suscipiendæ rei extitisse tradunt vltro ad bloncēstrelsem missō protinus ab Eduardi morte clandestine nuntio. Sedalij, quibus exploratiū est callidū protectoris ingeniu, negat ante cōmunicata postrema quā priora cōfecisset. Cæterū coniectūs in carcere necessarijs reginæ, & vtrūq; in filio in suas manus productō reliqua minus timide quibus res postulare videbatur aperuisse, duciq; potissimū, cuius acesſione dimidia parte suas vires auctiores fere intelligebat, p homines astutos, & tractādarū rerū artifices rē insinuat. Proponitur ei cognatorū causa, præceps iratus, et si quādo licuerit futurus vltor: qui fieri dimittātur instigarent: heſurā etenim semper carceris & vinculorū memoriā. Sin trucidētur, haud dubie mortē illorū ei cura fore quorū carcer dolori fuit. Ad hæc pœnitendo nihil profici, redimēdæ beneficijs offensæ nō relictū locū: at esse nēpe facilius perditur quā seruaturū principē, quē cū frate vna cognatisq; eo iā iniectos videat, vbi protector oēs possit vno nutu tollerene dubiū sit, si qd noui molimini intentaretur, ansurū: Quē, vt erat credibile, occultū sibi præsidū ita duci exploratores struxisse, et si aduersaretur, infidias: idq; fors ex ijs quos minime suspicatur: eum nam, rerum statum, eos animorū habitus esse, vt cui confidas, quē timeas, statuere certo nō possis. Talia suggestendo fatigatū ducis animū eo per pulere, vti quā viā ingressum iā se se pœnitiat, eadē tam pergeret: & quando semel cōperat, gnauiter vsque insisteret. Itaq; sceleratissimo protectoris cōsilio cū resistere nō posset, fautorē se sociūq; adiunxit, malūq; publicū statuit, quando nequiret corrigi, quā maxime posset in suū bonū vertere. Cōuentū est, vt protector opere ducis ad vſur pandū regnū, filiū quē vnu habebat legitimū cū illius filia matrimonio coniungeret, Ad hęc Herfordiæ comitatum, quē dux velut hæreditarium appetebat, neq; Eduardo superstite potuit obtinere perempta lite concederet. His illius postulatis protector magnā vltro thesauri vim, regiæq; suppellectilis adiecit. Igitur vbi inter eos cōuenit, quō magis à suis cōfilij oculos animosq; hominum auerteret alio, quē ab inaugurationē noui regis pertinerent, magnifico apparatu multis in speciem ne noctu quidem in-

dē inter missō à labore operātibus adornabātur in eam celebritatē. Proceres per omni regni partē euocati frequētes aderant. Cæterum protector ac dux, vbi Cardinalē atq; Cácellariū cū Eboracēsi archiepisc, comiteq; Darbiæ atq; Eliensi præsule, nec nō Hastyngo cubiculario, multisq; alijs nobilibus collocauerat de ordine, ritu ac solēnibus insigniendi regis ceremonijs lucuturos. Ipsi interī subducētes sese cū hijs quos sui propositi participes bāebāt, alio in loco lōge diuersa tractabāt. Cui cōsilio quāquā pauci adhibebāt, ijdēq; minime fuitiles, spargi tamen suspicio cepit, ac misitare populus, tanquam rebus haud diu bene permanisioris quum nec seiret quisquā aut quam ob causam, aut quo autore metueret, siue animis ingentia mala secretiore naturę vi p̄ficiantibus, pelagi in morē, spōte sua exēstuantis aduersus instantē procellā, siue vnu quispiam aliquid odoratus multos suspitione impleverat. Quanq; nō nihil ipsa res etiā quātūis dissimilata cogitationes hominū excitauit: siquidē paulatim quisq; ab arce regia dilabi, in protectoris aula esse, ibi frequētia, celebritasq; versari silētiū ac solitudo circa principē, plerisq; cōdiuertentibus vnde negotiorū expeditiō sperabatur: quibusdā etiā admonitis, parū tutō regē se frequētatueros, quibus nihil necessarij negotij esset. Sic vbi multa signa cōcurrere, parti casu, quādā industria ad vltimū efficere, vt nō plebs modo (que temerē quoquis agitatur) sed prudētes quoq; atq; aliquot etiā proceres exercicerētur, ac rē notarēt. Hactenus tamē vt disputarēt verius quā diffiderēt, cæterū dubiē comes, qui in multarū rerū vnu consenuebat, prouidēter illa suspektas. Hastyngō, quibō erat mutuo sibi secretorū concij, compellato: Bina hæc mihi haud placent, ait, seorsim habita cōsilia: népe dū nos in altero cōmuniē rem simpliciter & aperte tractamus, qui scias illi quibus de rebus in altero clādestine mulſitē? Tace, inquit Hastyngus, & minime dubita, dū vnu quidā illic aderit qui nunquam abest; ne verbū quidē vnuquam dubium sic efferrī posse vt non citius ad me perferatur, quam loquēti excidat. Hæc ille de Catesbio innuebat, quo valde familiariter vtebatur: neque tantum sibi de cuiusquam in se amore fideq; promittebat, vt cui perinde sibi ratus est charūm, ac deuinctum sibi illum intelligebat, népe que opibus admodum atq; autoritate promouerat, & erat qui prouehi haud difficulter possēt. Nam præter egregiam Britanicarū legū peritiam, accessit corporis amplitudo, & oris decor, species insignis, vt idoneus non ad agēdas modo causas, fed ad magnas etiā res gerēdas habetur. Ingenij vero tāti, quantū hominiū tā nullius fidei nō optasse: quippe cuius vnius dissimulatio totā eā que illā cōsecuta est malorum pestē, cōflavit. Cuius fidē nisi se cur⁹ suisset Hastyngus, Stantlaeus, comeſq; Darbiæ, cæteriq; earū partiū nobiles, ad primam statim fraudis

suspitionē discessissent, & discessu suo oīa eorū clandestina, & nepharia cōsilia turbassent. Ceterum Hastyngus dum nīmū illius vnius fide nititur, ceteri cunctantes perfidia illius tum demum captos se sentire cōperunt, quū tā dānare iam, nō etiam vitare potuerunt. Sed & protector quoq; & dux Hastyngum mira ne quid suspicaretur mala, amicitiae simulatione laetabant: quāquā illi creditur ex animo amat⁹, huic inuisus, neutri ad hēc cōsilia commodus. Fertur Catesbius à protectore missus, vt animo eius callide pertentato expereritur, an pertrahi quoquo pācto hominē posse ad suas partes speraret, alp̄era omnia & contraria retulisse. Pessimē etiā cesserat, quod Hastyngus hinc in familiari colloquio iactantia suā fiducię aliorum formidines aperuerat: Veritus ergo Catesbius ne multi contra suam simulationem mouendo ac fatigando proficerent, neu consilia quāe iam prorepere videbantur cuncta eruperent, censet maturandum facinus, occupandos dum dubitant, illum quia fleti non posset amoliendū. Quod eo suasit audi⁹, quū Hastyngi principatus, quo tum plurimum pollebat, in Lancastrensi comitatu sibi destinabatur. Cuius rei detestabilis ambitio Catesbiū ad ineundam execrandi sceleris societate impulerat. Igitur consultantibus paulō post in arce proceribus, quo eos protector cōcucauerat, ipse serius veniens in consilium exuosat tarditatem. Tū hilaris, ac projeocanti similiis docubuit protinusq; in Eliēsem versus episcopum: pater inquit, fraga tibi in hortis autē insignia nasci, non grauatim scio ferculū vñsum tot nobilibus in prandium, velut simbolum tuum cōferes. Vtinam, inquit ille, maius aliquid tā facile possim quam hoc, libenter faciam: simulq; ministrum qui adferret emitit. At protector, velut nescio quid necessariæ rei in proximo facturus cubiculo, statimq; in consilium redditurus egreditur, proceribus interim tanta eius festiuitate oblectatis, quantum haud temere ante in illo viderant, simulq; humanitatem benignitatemq; animi laudatibus, ille non diu moratus reuerititur: sed mirum quā totus ab illo mutatus, qui modo tam lāetus exierat népe nunc contrā tristis, toruus obducto supercilios, corrugata frōte admorso labro, minabundus, stupētibus vniuersis quæ illū intēperies tam repente corripuisse, hoc vultu si in sellam coniiciens, vbi paululū tristi silentio pauidos expectantū animos suspēdit, in hæc verba prorupit: Que supplicia ex cogitentur illorū digna sceleribus, qui nec nō sanguine modo tam propinquam principi, sed eius, regniq; huius protectorem, impījs actibus machinantur tollere. Ad hæc verba omnes qui aderant attoniti atrocitate rei cōticeū, voluentes tacitē secū quis tanti flagitij conscientis esset: cuius sibi quisque expers esse videbatur. Sed Hastyngus, cui præsumptus in se protectoris fauor animos loquendi fecit;

## HISTORIA REGIS

Ultima meritos exempla respondit, quicunq; essent. At huius, inquit ille, sceleris machina, trix est fratri vxor, innuebat reginā. Cui qui fauebant, ad eam vocem miro pauore defigebantur. Sed Hastyngus, cui vni cædes imminebat, cœpit recreari: quum id malum, quod amicorum cuiquam intentandum pertinuerat deriuari, ad inimicam cerneret. Cæterum animo non nihil anxio requirebat secum, cur se protector hanc rē celasset, quem cōscius esset ab opprimenda regina nō abhorre, nec rationē inire poterat cur hoc diſsimulatū oportuerit apud se, cuius cōscientia protector fuerat vſus in captiuos reginæ cognatos, ea ipsa die in quo adulterabantur oppido truciādos, videlicet haud opinantis in eandē propemodū horā sibi vicissim alio clanculario consilio constitutū necē. Interim protector: videbitis, inquit, vt hæc scelerata mihi cū vxore Shori, atque alijs præstigiatrixibus fascinatum corpus magicis vñeficijs exhausterit sinuſ subducta in cubitū manica brachiuſ profert, admodum haud dubie macilentum, sed quale tamen ab initio fuerat. Tum vero merito præter conscientias cuncti expauescere, reputantes materiam tantum rixæ primum, deinde cædis quæri. Nam brachium illud macilentum probe nō uerant & reginam ab magicis præstigijs longe abesse, et si minus abfuſſet, Shori tamē vxi rem nunquā fuſſe in societatē consilij vocationā mulierē, propter libidinem quidē famosam, à magicis artibus autē alienissimā, tū ſibi maximē omniū inuifam vt pellicē olim: nā & regi in primis charā. Igitur iā Hastyngus Shorē cōmemoratione perculsus (nā cā deamare ferebatur) ſi talia, inquit, aueſ ſint, merito certe ſunt puniēde. Ad hēc ille: Quid tu mihi, inquit, ſi ego tibi feciſſe aio: idq; ſi defendas, duello tecum proditor approbauero, manūque fortiter velut iratus incuſit, in mēſam, iāq; ad oſtiū proditio clamabatur, ſimulq; ad hoc intenti ſignū ſatellites irrūpentes, armis totū locū cōpleuere. Protector illico manū in Hastyngū iniecta. Ego te lēſe maieltatis reum facio proditor, inquit. Me ne, inquit, o protector: te (inquit) ipsum o proditor: ſtatiq; Mideltonus quidā in Darbie comitē ſecurim, librauit, ſic vt niſi propere ſub mensam diſlapsus euitaliſ ſet iſtū ad dentes vſque caput fuerit diuifarus quippe quem ſic quoq; celeri lapsu iſtū declinantem, extrema tamen acies conſecuta verti impaſto, vulnere totū cruore perfuderit. Inter comitē & percussorē hunc lis de prædijs olī, atq; hinc inimicitia vetus interceſſerat. Nā comes cū de poſſelione, vi ne an iure incertū, inuitū certe deiecerat, vnde ille plus ausus, quā imperatū eſt in aliena cauſa, ſuo dolori ſeruiebat. Iamq; reliqui proceres episcopiq; comprehendebantur, & ne mutuo conſultarent, alij alio amandabantur. Sed Hastyngū protector iuſſit ad mortē ſe componeret, ac ſi quid cum ſacerdote vellet, accerſendum quā primū cu-

raret, nam ita diuū, inquit, Paulū propitiū habeam, vt non ante cibī quicquā guſtaturus ſim quā tibi caput amputatū videā. Ergo ille nihil ſe reluctantando profeſtū ſciens, adducto quē locus ille offerebat ſacerdoti confeſſionē cri- minū qualemq; fecit: nā prolixiorē téporis breuitas non admittebat, protectore ita ad prandium compoſito, & vt caput illi præci- ſum eſſe audiret intento. Quamobrē vrgente Bukyngamię duce (quē ille ſuppliciter inuies ut ſui miſereretur obſerbat) vix temere fa- cta confeſſione, producitur in mediā planicie arcis, atq; ibi ſuper trabē aedificio reparando destinatā deponita ceruice, luſtuſum inſons vita ſinē recepit. Corpus amici cū capite Vin- desorā vēctū haud procul ab Eduardī chariſimi ſibi principis oſib; humauōre operēpre- tiū eſt cognoscere, quæ ſomnia mortē eius pre- ſagiata anteceſſerint. Siue monita talia putāda ſint à deo miſſa vt caueātur inſig; ſiue inelu- ſtabilis ſati prævia ſigna, aut aia futuri praſa- ga, ſepitis ſomno ſenſibus, imminētia ſata cō- fulſis imaginibus adumbrā, futuros rerū euē- tū prämoniſtrat corpori. Iam p̄imū ad me- diūm eius p̄oētis, quam lethalis ei dies ſequer- batur ab Stanleo minister anhelus domini ſui verbis hortatur, vt ſe quā primū ē lecto prori- piens fuga inita imminenti periculo ſe ſubdu- corēt: nam domino o biecta per quietē terriblē, magniā, mali ſpeciem, vtriq; ipſorū, niſi fu- ga präueniretur, exitiosam, vt verebatur futu- rá. Viſum enim aprū proſtratos ambos appete- re dentibus: Hastyngū repente confeſtū, ipſi vero ſi lancinatum caput, vt ſanguis vberitum in ſinus effueret. Hanc imaginē animo eius tā altū imprefiſſe terrorē (quum aprū recorde- tur protectoris eſſe inſigne) illi planē delibe- ratum ſit diſcedere etiā ante lucē, ille itineris co-nes ſit futurus, plus adhuc viq; priuſquā de- ſiderarentur emenfuros, quā vt conſequi eos ſi qui perſequerētur poſſent. Vach, inquit Ha- styngus, ad eo ne meticuloſus eſt, vti ad vana ſomniorum deliramēta contremiſcat, quæ vel ipſius biliſ animo figurat, vel diurna cogita- tionē reddit dormienti. Superſtitio eſt ni- mirum, propeque adeo impietas, inania iſtā hæc nugamēta curare, quæ ſi futurom omni- nino ſigna putet, cur non cogitat rata poſſe etiā fugiendo fieri, vel multo certe poтиuſ ſi re- tractos ex itinere (vt fugiētibus nihil eſt fidū) iure nos aper inuaferit, tanquam ſceleris con- ſcientia fugitiuos. Quare aut nihil eſt vſquā pe- riculi, nec certe eſt aut illuc etiam amplius. Quod ſi omnino ſit, malo tamen aliena vt perfidia recidiſſe, quam vel culpa vel ignavia noſtra videamur. Proin abi, ac manendum nobis renuntia. Nam ego virum illum (quem ipſe probe nouit) tā certū fidūq; mihi, quā de- trā hanc manū habeo. Fecerit (ait ille) deus ve- rum iſtud, vt euētu cōprobet: atq; ita diſceſſit. Ad cuius nuntiū manēto Stanleo intra decem horas proximē conſequentes correpti ambo negle-

neglecto somnio, fidē fecrē. Certū est quum iam in arcem tenderet, paulū abfuisse quo minus ter intra breue spatiū toties offendente equo prouolueretur in terrā, quæ res etsi nullo die non accidat, vel equi vitio, vel insidentis incuria: tamen vetusta superstitione sic est obſeruatum, vt denunciare credatur grande aliquod instans in proximo infortunium. Iam quod sequitur, non tam monitio, quām inimici ludibriū fuit. Eques quidā tum perquam tenuis fortunæ, nunc purpuratorum facile princeps, ad eum adhuc dormientē venit, officij simulatione comitaturus ad arcē: re autem ipsa à protectore missus, vtpote gnarus exitij, vt eius in arcem aduētū acceleraret. Is restituantem in via, & cum noto sibi sacerdote, qui forte occurrerat colloquenterem quasi per iocum interpellās: Quid tibi tam multa cum sacerdote, inquit, nondum enim sacerdote tibi opus est: tecētē insultans breui fore. Sed quiduis potius, quām vanissimam hominis exitio iam proximi securitatē p̄terierim. In ipso arcis vestibulo non admodum procul ab eo loco in quo caput eius propediem effet amputandum, forte caduceator illi obuius offertur gētiliō sibi nomine. Ad eius occursum subiit animum illius temporis alterius recordatio, quo eidem eodem in loco similiter ocurrenti dolorē ac metū suum cōmunicauerat. Fuerat enim tum reus apud Eduardum factus, accusante Rilero germano Reginæ, tanquā habuisset consilium de prodendo Gallis Caeto: cuius p̄fidiū p̄fēctus erat. Quæ tametsi (prout postea compertum est) mera effet calumnia, indignatē Rilero, sibi illum in eo magistratu p̄latum, quem velut destinatum ac promissum ipse sperauerat, tū accusatoris dolo, & nocturna reginæ oratione p̄occupatis Regis auribus, initio tamen sibi magno in periculo versari videbatur. Igitur ingēs eū libido nunc incessit, ibi cum illo de discrimine p̄terito iam atque evitato colloquendi. Ecquid Hastynge, inquit (nam id erat etiam caduceatori nomen) meministi quem olim & hoc ipso in loco sermonē cōtulerimus? Memini, inquit ille, admodumq; certē gratulor, ab inuidis intentas insidias ipsis male, tibique contra bene cōfisse. Quanto magis, inquit, istud sentias, si ea scires quæ sunt adhuc mihi paucisq; cognita, quæ tu quoque paulò audies posterius. Hoc de capite p̄tendis eo die, quos antē captos ostendimus Reginæ cognatos, intelligebat: haud quaquam gnarus quām pope ceruicibus idē fatum immineret suis. Quin superis, inquit, habeo gratias, vt nunquam æquè mihi dubiae res ac tum fuere, ita vicissim nunquam magis certæ ac melius cōstitutæ fortunæ meæ quāmodo sunt. O densam mortalitatis caliginem tum demum maximē sibi tutus videbatur, quū tamen post momentū ferè temporis perijt miseria. Vir celebri apud suos loco, vtpote equestris ordinis, illustri & antiqua familia natus,

familiae gloriā à maioribus acceptam ipse rerum belli domiq; gestarum laude cumulauit. Vitæ fuit paulò remissioris, populo ob comitatem gratiosus, regi ob fidem in primis charus, artibus & insidijs malitiosorum hominum expositus propter generosam quandam animi simplicitatem sibi p̄fidentem, & à dolo maximē alienam. Insidiantibus facile obnoxius, vtpote ob innatam animo audaciam, Cædis huius fama repente per vrbum primum, inde quaquaerū pernolauit. Sed protector illico ab facinore patrato, vt aliquid saltem haberet quod tegendo sceleri suo p̄texeret, p̄fectum vrbis, ac senates aliquot accersiri ad se in arcem iubet, ybi venire, ostendit sibi duciq; instructas in eum diem insidias, quas ipsi quum nihil minus opinantes paulò ante prandium deprehēdissent, in ipso conatu ad eas op̄primendas coactos arma subito qualiaq; cunque corripere. Vt aliquam veri speciem habere viderentur quæ dicarent, stabant ante oculos milites aliquot multo situ, & rubigine loricas, prout in subito exerto tumultu fieri solet, gestantes. Cæterum deprehēsis insidijs gnauiter ac strenuē propulsato pericolo, pluribusque coniurantium captis, ipsorum benignitatem vnius Hastyni supplicio contentam (cui parci fane maximo ip̄lorum periculo non posset) reliquos omnes seruasse p̄nitentia. Ad hæc illi, simulantes se credere quæ dicarentur, extollere fortitudinem, laudare clementiam, & incolumitatēm gratulari, quum tacitē interim apud se facinus simul & authorem abominarentur. Protecto eodem etiam commēgo ratus deliniendum p̄populum, caduceatorem in tera cum edicto iam olim in id parato miserat, à quo ad tubē sonitum commota plebe, locis maximē celeribus eadem fere p̄sonis voce p̄nunciarentur. Sed addita in Hastynum, quo supplicium eius æquius audiretur, velut p̄ter noxā eam flagitosi multa consilij conatu punitū, ne quem forte tumultum eius liberādi causa perdit, & proditionis conscientia stimulati parricidæ concitarent: quorum nūc spe merito illius supplicio prouidenter oppressa nihil restare periculi, quo minus omnes boni sub optimo principe quietissimē sint victuri. Iam hoc edictum, quod intra horas duas ab eius nece pronunciabatur, & prolixius erat, quām vt vel temere dictatum tam breui temporis spacio potuerit describi, & tam ambitiose compositum, tam polite membrana descriptum, vt ne duplicato quidem temporis interuallo apparari possit: vnde quiuis facile persensit elaborati commenti perspicuam vanitatem, nempe quam rem videri volebat modo primum repente comperisse, eius rei p̄cnam deprehēdabantur antea meditati. Sed inde protinus in Shore domum irruitur, extrahitur ipsa, & truditur in carcerem: direpta bona per iram scilicet, atque ad protectorem comportata, velut in mulctam maleficij ma-

## HISTORIA REGIS

gici, cuius cum nullum in illa signum posset hæcere, ne per injuriam afflita videretur, tandem in id descenditur criminis, quod nec ipsa poterat negare, quippe quod populus tam scit verum, quod nemo tum demum tam atrociter obiectum ei non risit, nempe quod impudicitiae nomine famosa esset: vnde effecit protector, ut in diuini Pauli templo magna celebitate Senatu Londinenzi prodeunte supplicatum, ut nudis pedibus & cæreū accensum manu gerens (qui mos est illic agentium publicam pœnitentiam) crucem & psallenti chorus præcederet. Ceterū illa vultu gressuq; tā cōposito incedebat, & quanquā neglecto horrendoq; cultu, facie tamen adeo venusta, præsertim cum decentissimā in cädidas eius genas rubedinē pudor adfunderet, ut ingēs illud decus haud parū ei laudis gratiaq; conciliauerit, apud multos corporis eius portiundi magis quam animo seruandæ cupiditatis flagrantes: quanquā & boni quoq; & quibus vita inuisa erant, misericordia illam magis quam probro dignam censem̄bat, reputantes protectorē illud nō tam odio vitiorum, quam scelerati consilij sui tegendi studio adductum fecisse. Hæc mulier Londini bonis prognata parentibus, bene pudicē, & educata, coniuncta est matrimonio: cetera fœliciter, nisi quod nimium festinato. Nam cum virum haberet multis tum corporis fortunæ bonis cumlatum, animo tamen ab eo alienato vixit, quod prius viro cōiuncta foret, quā virum amare per ætatem posset: vnde reiecto marito facilè regi ambienti assensum præbuit, & alioquin tanti procī splendor, & aspectus insolens viri ceteris metuendi sibi blandientis ac supplicis: ad hæc spes apparatus, & mundi muliebris conspicui: deniq; otii, luxus, voluptatum, facilè poterant mobilem puellæ animum impellere. Sed eā vbi resciuit cōiunx, rem habuisse cum Rege, ut erat homo modestus, haud se tanto honore dignatus ut principis cōcubinam attingeret, in totum eam Regi cessit. Quanto ciuilior alijs, quibus haud quam equum in illam ius erat. Defuncto Regi successit Haſtyngus, quā etiā viuo illo adāmuerat abstinuisse, tamē ferebatur siue reuerentia, sine fodalitia quadam fide permotus. Erat illa insigni cutis candore, totius oris egregia specie prædita, sed oculis præsertim mira & cœtris flore cognouerunt. Et illa quidem etiā tanta esset oris pulchritudine, ut omniū facile ad se oculos conuerteret, ingenio tamen adeo festiuo, ac moribus tanta comitate conditis fuit, ut magis propter morum sanitatem, quam oris pulchritudinem amanda videretur. Sermonis faciendi egregia artifex, neque silentio rusticō, neque immoda dicacitate notabilis. Rex siquidē cū esset solito hilior, interdum

solebat prædicare meretrices se habere tres, diversis quamq; dotibus insignes: vnam lepidissimam, alterā astutissimā: tertiā verò meretricū quæ vsquā essent omniū sanctissimā: ut que extra lectū regiū nō facilè alibi quā in tēplo cōspiceretur. Reliquæ haud sat cōpertum habeo quæ fuerint. Lætissimam hanc esse constat, quā dicimus eo nomine charissimā, qui quum alias nōnullas haberet, vna hāc præ ceteris adamauit. Quin & hæc mulier tantum absuit ut fauore principis in cuiusquam abuteretur malum, ut plurimis etiam bono fuerit. Nam & offendit regis animū plerunq; leniebat, inuisis gratiam, delinquentibus veniā impetrabat, deniq; multis in magnis rebus suis magno sēpe usui erat, mercede plerunq; vel nulla, vel præexigua, eaq; specie magis quam pretio spectanda, siue facti sui cōscientia cōtenta, seu bene de omnibus merendo ostendere cupiens quantæ apud principē autoritatis foret. Certum est adeo extra inuidiam fuisse, ut præterq; ab vna Regina, ab vtraq; reliqua factione mutuo sibi infesta pariter amaretur. Haud temerē cuiquā illorum autoritate gratiaq; inferior, qui diuersitatibus apud suos quiq; principes valentes sola scelerum fama posteris inclarescunt, eo diurniore memoria, quo deteriore: ut beneficia pulueri, mali si quid patimur, marmori insculpimus. At eadē adeo olim celebris, amicis nunc notisq; omnibus superstes, annisq; velut in alterū progressa seculo, deleta propemodū etiam sibi longis malis pristini luxus memoria, miseram hodie vitā medicando sustinet: viuētibus tamē ac simulantibus quibusdā, qui nunc ei fuissent aduersę fortunę cōfortes, nisi res illis incolumes ipsa aliquando cōseruasset. Sed vti supra narrare cōpimus, eadē hora qua Londini truncatus est Haſtyngus, Antonius interim Vodenilus, Reginę frater, Richardus Graius, quos Hamptoniē ac Stratfordiē cōprehensos dixim⁹ ad oppidulū, quod à fracto pōte nomē accepit, capite plectebantur, curante cædē Richardo Ratelyffo equite, cuius ministerio protector ad eiusmodi tyrānica facinora ut plurimū vtebatur, ut pote valde taciturni, & multarū experti rerū: Ingenij magni, maliq;, sermone ruditis erat, habitu rusticus, ad quilibet atrocia facinora suscipienda pīceps, ab omni aut erga homines misericordia, aut erga superos reuerētia alienissimus. Is è carcere productos, ac respōdere prohibitos, ne cognita eorū innocētia, pīectori cōflaret inuidiā, indeprauatos, inauditos, atq; adeo nec accusatos quidē celeriter necādos curauist, nulla alia culpa, quā quod boni erāt, aut vel minus ppinqui reginæ, vel minus fideles principi. Igitur patratis rebus his, & nobiliū quos maximē aduersaturos putabat, necatis alijs, alijs adhuc captiuis, tū reliquis fere Lōdini agētibus, procul ab suis cuiusq; viribus, deniq; attonitis & percussis omnibus, quū neq; sciret quisquā quorsum res euaderet, aut cui cōsilia crederet, pīector rapiēdā occasionē ratus

ratus est: vnde suspēsis subito pauore omnium adhuc animis, occupandā regni possessionem, priusquam rebus plenius excussis, & communicatis consilijs in diuersa discedendi spaciū firmatis partium copijs esset. Cæterum in hoc hærebatur quinā color rei tam sceleratē p̄texi posset, quo leniretur inuidia. Huic consultationi plures adhibebat, quos spe p̄emiorum facile ad se traductor v̄sui sibi sperabat fore, vel viribus pollentes vel ingenio. In his Edmundum Shau, Londini p̄fectum, velut ingentium p̄emiorum spe sollicitat̄: sperantes fieri commode posse, vt ille sententias confirmaret. E clero delecti, quibus apud plebem auctoritas concionando quisita fuerat: Potissimum verò Ioannes Shau, p̄fecti frater, ac Pynkerus, Augustinēsum fratrum in Anglia Pr̄ses. Ambo sacrarum professione litterarum insignes. Ambo concionum gloria celebres. Cæterum vtrique doctrina tam infra famam, quam virtus in infra doctrinam. Hi sermones ē suggestu accuratissimos in laudem protectoris, alter antequam Rex creatus esset, alter post regnum initium habuere, plenos adulationis intolerandæ. Pynkerus in medio orationis cursu destitutus voce descendit, populo id in superos referente, velut sacrilegæ palpationis vltores: Shau publica omnium ignominia notatus, haud multo post vita excessit, tædio solitudinis, in quam sese pudore publici conspectus abdiderat. Sunt & qui Pynkerum negant initio propositi consicum, sed re perfecta vulgato more gratiam aucupatum apud cupidum laudis principem. Cæterum vt de illo ambiguitur, ita cum Shao constat vsque adeò communicatum consilium, vt ei primæ etiam partes insinuande populo rei mandarentur. Nam ea commodissima incipiendi negotij via est ratio, si is concione solenni proposita re, & tractata concinnè, labefactatos animos plebis ab rege ad protectorē pelliceret. Cæterum præcipua negoti pars in excoigitanda mutandi regis causa versabatur, ne tam impium consilium impudenter expositum protinus exploderetur. In eam rem alia alijs conferentibus, hoc denique summa recidit, vt persuaderetur populo, & Eduardum ipsum, & eius omnem sobolem illegitimo esse coitu natam: ita nec illum vñquam iuste regnasse, nec hos ei rite successuros, ea ratione restare protectorem vnum regni capacem, & vnicum Eboraci ducis legitimum filium. Sed obiectum Eduardo ipsi nataliū vitium, fieri non potuit quin & ipsum protectorē perstringeret, vt pote ei cū Eduardo commune: nec ideo tamen censuit abstinentum. Sed eum locum obliquo ductu, atq; arte tractandum, sic vt cum dicantur omnia, multa tamen supprimi viderentur: scilicet ne ipsius animus in matrem pius offenderetur. At illud alterum, de filijs Eduardi pro spurij habendis, recta atque apertè agi placuit, & quam maximè posset exaggerari: atq; huic rei quam falsam & olim reuictā, reiectam, calumniam p̄texuit, melius cognoscetur, si quædam altius ab Eduardi coniugio facta repetamus. Eduardus Hērico deposito, potitus regni, Comitem Varuici, virum opibus simul & populari gratia florentem legauerat in Hispaniam tractaturum de nuptijs cum Regis Hispani filia contrahendis. Sed interea forte venit ad eū Elisabetha Graia vidua, fortunæ per quam tenuis, at materno genere nobilitatis magnè vertuſæq;: paterno impare, sed non obscurō. Ipsa cum in aula versaretur Henrici Reginæ obsequens, nuperat Graio, eleganti quidem ac strenuo, sed honesto magis, quam claro aut potēte: nempe nullo adhuc pacis, bellive gradu insigni. Sed eum Henricus postea p̄alium initurus aduersus Eduardum equitē fecerat: quo ille honore haud biduum gausus eodem in p̄alio occubuit. Ergo vxor eius, vt dixi, amissō viro, Henrico victo captoque, ipsa bonis omnibus exuta, relatis videlicet in Eduardifiscum quod maritus eius ab aduersa parte steterat, cecideratque habitu lugubri & miserabili, ac aduoluta pedibus Eduardi supplices ei libellos porrigit: tum in se conuersum ac reſitantem: videntis audituro similem, causam verbis proponit, atque addit p̄aces, vt p̄adia quædam haud magni census ob nuptias ei pridem à marito donata reddi sibi iuberet, neque enim quæ sua iam erant facta, vlo viri sui crimine cadere in commissum potuisse, vt modo detur criminē esse, apud quem sacramentum dixerat, in eius fide regis ad mortem vñq; mansisse, nec minus firmam illam, si fata seruassent incolumem, nouo regi fidem seruaturn fuisse. Rex in loquētis vultum defixus, mulieris cōstantiam tanta cum modestia coniunctam mirabatur, orationis gratiam duplicante forma non misereri modo supplicem suam, sed amare quoque incipit: & modo quidem placide respondens bene sperare illa iubet, breui enim se de re cognitum: sed paulo post reuocatam de negotio pauca p̄fatus facile se ostentat fore, modo illa sese non difficilem p̄beat: quin vltro plura daturum, si ea vicissim paululum ei quiddam gratificaretur. Illa quām diu per ambiguam regis orationem licuit, dissimulare, scire se quid ille vellet: Interim respondere benignè & circunspectè omnia, nec absque honesti cautione promittit. Sed vbi remotis ambagibus ad inphoneta sollicitari vidit, tum verò apertè resistere: verum sic composito & temperato sermone, vt cupiditatē eius incenderet magis quām leniret: quām cum vehementius accensam viderit quām vt facile posset extingui, modo infamiam, modo culpę conscientiam p̄tendat, orabat vt frustra niti desisteret. Ipsam enim et si minus dignam existimaret, quæ fieret vxor regis, digniorem tamense, quām vt concubina eius fieri vellet censere. Regi haud quaquam antē sueto tam obstinatē repelli, noua illa constantia

## HISTORIA REGIS

stantia fuit admirationi, qui tam raram castitatem cum eximia venustate coniunctam maximarū opum loco ponens, ab amore consilium mutuatus, primo quoq; tēpore eam sibi vxorem dacendam constituit. Itaq; re animo eius altius impressa, quām vt vlo consilio euelli posset, ne tamen videretur cupiditatē magis suam quām suorum consilium fecutus cum amicis deliberat, qui facilē cernentes in quam partem Regis animus propenderet, certatim approbant. Cæterum mater eius adeō rem agrē tulit, vt dissuadendo vix temperarit iurgijs, honorificentius illum vtiliusque rebus consultrum suis haud satis adhuc domi pacatis, si extēnum sibi Regem affinitate conglutinet. Inde non præsidium tantum stabiliendo regno, sed augendæ præterea ditionis spem esse. Nam istud, inquit, coniugium haud quaquam fānē regium, fuerit, vt si quispiam paulō ditor ancillam depereat suam sibiq; adsciscat in sociam, quod quoties accidit, etiam qui connubium puerlæ gratulantur, tamen delirum dominum irridēt, quanquam haud ita longe supra conditionem virginis quām huius humilitas viduæ infrā tuæ maiestatis eminentiam subsidit, in cuius corpore, indolēve animi vt nihil improbo, ita nihil tam eximiū esse contendērē idem, vt nō alijs etiam supersit, quæ tibi multis præterea modis congruerent magis. Incommode certē iunguntur impatia nec vñquam coalescunt bene quæ valde dissident. Manca sunt & imperfēta semper disparibus nata parentibus. Sustinere potes vt huic florētissimo quod obtines regno progeneres Ibridas ac degeneres regulos? & tuus fanguis Graij filij vt fratres generet? Certē si illa tibi alioqui conueniret maximē, qua nunc nihil conuenit minus, tamē sacrosanctam maiestatem principis quem æquē deceat sacerdoti puritatem parem esse ac dignitatem proximē accedit, haud quaquam cēseam statim primo coniugio, indelebili bigamie labe polluendam. Quid quōd tractando alibi matrimonio longius progressus es, quām vnde regredi non in honeste queas, fortasse nec tuto quidē, quippe legato in id Varnice Comite viro totius regni tui secundum te potentissimo, qui nec frustrari labores suos & eludi quæ firmavit indeleat, non satis æstimare te video quām valde tuarū rerum interfuerit. At Rex quanquam libenter optabat quām sibi ipse delegisset matri quoq; probari, tamen vt vi illa rem acciperet, cum quid facturus esset, apud se constituisset, multa serio, quædā ioco respondit, vt qui solutum fese materna curatione meminisset. Tam etsi matrimonium diuina quædam res, inquit, virtutis ergo contrahi non opulētiē debeat, Deo videlicet amore fidemq; mutuam inspirante coniugibus, quod ego certē nobis contigisse confido, tamen hoc meum coniugium si quis vel crassius æstimet vulgato more hominum sanctis vtilia præferentium, is ipse ni fallor in-

ueniet illud non vsqueadē incommodum. Nam ego certē nullius amorem populi potiorē duco mihi, quām mei, cui haud paulō chriōrem ita me spero fore, si cōiugium mearum non videar alpernari. Externorum verō necessitudines principum, quas maternus adfētus tuus potissimum censet ambiendas, vnde nos malorum sēpe flumen erupisse vidimus, tamen licebit adiungere, minore cum damno meo, si qui meorum fortē sustineant eum in cognitis copulari. Nam ipse certē nec ducere possum quām non amo, nec adamare quā non video, nec sat consultum arbitror futuri incrementi spe quod promittunt quām prēstant sēpius externa matrimonia, præsentium bonorum fructū corrumpere, quorum quis esse sensus potest eam habenti perpetuam vitā sociam, quām non libenter aspicias. Quin accedere mihi vxoris nomine in vltiore ditione nouos titulos ne optarim quidē, quippe cui iam nunc tantum terē marisq; debetur, quantum adferre fideliter tuerique satis nimirum vnicuius superq; fuerit. At sunt vbiq; non nullæ quæ huic mē nulla corporis aut animi dote cesserint, multis exuperant etiam, istud ego neque hercle infīcior neque prohibeo sane quominus eas hi quibus sic vidētur, fruantur: eoquē contra iniurium est agrē cuiquam esse meo meoquē genio obsequi. Nec Varnici Comitem quem vel vt cunque animatum non tam valde formido, tamen haud tam aduerso in me animo reor id illi vt doleat quōd mihi sentit lubere, neque tam iniquum vt postulet in deleganda cōiuge eius me potius oculis regi quām meis, perinde ac pupillis adhuc sim, à cuius coniugio requiratur tutoris authoritas, quin dispeream in priuatis esse liber, quām rex hac seruitute vellem, vxor vt inuito mihi alieno arbitratu obtruderetur. Iam bigamiae labes illa quā tu charissima mater ſequoribus verbis impetere videris nō me tam valde multum territat, obijcat hanc mihi patriæ pontificulus ambiēti fortē sacerdotium, nam administrando quantum memini regno non officit. Denique quod habet ex priore matrimonio liberos, id ego per gratias etiā in lucro pono, quin mihi quoq; cœlebi adhuc non defunt aliquot. Ita mutuō probamētum dedimus nuptias nobis non infēcundas fore. Quamobrem coniugium hoc quod ipse mihi ſuperis aspirantibus delegi, tu quoque dulcissima genitrix approba, idemquē nobis vt fœliciter cedat fauīs cōprecationibus tuis adnitere, quæ si pergas in prēsens aduersari nascetur hinc breui ne potulus tibi qui nobis te blādicijs suis cōciliet. Tamen mater vbi regis animum vidit inflexiblem, ipsa contra fit obstinatior, & dolore spreti consilij sui magis succensa nouam ingreditur viam ad disturbandas nuptias. Erat Elisabetha quædam gētīlico nomine Lucia, puerla nec ignobilis & egregia forma. Eam forte virginem rex corruptit. Igitur vbi nuptiarum appete-

appetebat dies, & pro more populus admoneretur, ne si quis obice sciret eludi sacramentum pateretur mater eius velut exolutura sece pollutorum religione sacrorum, deflet Luciam filio vere vxore esse, data fide & firmata cōcubitu. Igitur seu non ausis progredi Pōtificibus, siue nolente rege nuptias suas aduerso rumore conspergi, cui materna pietas autoritatem pōdusq; tribueret. Interea restitum est quoad cognita re, falsitas eius fama reuinceretur. Accersita Lucia quāquam occultis instruēta consilijs, ostentata spe vxore se regi fore, modo fidem cōiugij sibi à Rēge datam constanter affirmet, cum tamen proposito iuramento super ea re in iudicio interrogaretur, fatetur nulo coniugij promissō regem obstrictum. Cæterum amoris præ se tulisse tantū vt ipsa suum obsequium sperauerit consecuturas nuptias. Alioqui nunquam concubitus eius fuisse perfuram. Comperita ergo & denuntiata falsitate commenti matrimonij. Elisabetham Graiam ducit Rex sibi q; in Reginā sociat hostis paullō prius vxore. Sed Comes Varuicensis reuersus adeo ægrē tulit illas legationē suā vt coacta manu regē in exilium expulerit, è carcere restituto in regnū Henrico quē Eduardus ipius ope Varuici deposuerat. Tātus ille vir fuit & reliquis opibus & populari gratia vt ab vtra parte stetisset in eā nimirū regni gubernacula inclinarēt potens & sibi sumere nisi honorificentius multo duxisset, reges creare quām regnare. Sed immodica potētia raro perpetua. Si quidem Eduardus cum biēnum abfuissest, regina interea in asylo mēmorato enixa principē haud quaquam pari manu cum Varuicensi congressus apud Bernettū decem ab Londino milibus capto rursus Hērico, comiteq; magna vtriusq; partis strage occiso, regnum in sua domo sic constabiliuit, vt concuti nisi domestico dissidio & intellīna fraude non posset. Hæc, vt fors narrata verbosius, ita prætermitti prorsus haud decuerat, ne protector ignoraret Eduardi filijs natalium vitium obiecturus nihil reperiisse quod illius matrimonio obijceret præter excusam olim & antiquatā calumniam. Cæterum id commētum quamlibet frigidum illi placuit cui satis erat aliquid dici, nimirum securo certoq; probationes ab se non exigendas. Igitur postquam initium insinuandæ populo rei Shao decretum est, haetenus vt Eduardo, fratreque eius, Clarentiæ totaque Eduardi sobole spurijs declaratis, protectoris ad regnum ius ostenderet, taceret voluntatē. Is ē suggestu dominico die proximo ad ædem Pauli frequentissimo auditorio, quod eius fama viri cōtraxerat, hoc themate sermonē exorsus est. Spuria vitulamina nō agent radices altas, inde p̄fatus infundi atque inspirari, semperq; cōtracto rite matrimonio, propriā quādam ac peculiārē gratiā, quæ in sobolē sancte conceptam deriuētur, qua plerunq; deficerentur hij qui vago vel adulterino cōcubitu nati,

parentum crimen prauitate sua testentur vsqueadē vt si qui materna fraude celato origini vitio supplantatis veris hæredibus, alieni patris fortunas inuaserint, atque occuparint ad tempus, ita tum rem disponēte Deo, erumpente breui veritate, restitui legitimos successores & geminos reddi suæ terræ succulos, deprehensō ac reuulso vitulamine spurio priusq; altius agat radices. Hæc vbi vetustis aliquot cōfirmasset exemplis, protinus in laudes disserit Richardi nuper Eboraci Duci eum subinde vocans patrē protectoris, tū admonito populo successionē regni perpetuā senatus consulto ac scito plebis eius vnius, deinceps stirpi decretā ostēdit. Eduardū cōtra ius ac phas Reginę copulatū, superstite Lucia vera cius & indubitata cōiuge etenim cōtracto cū ea virgine matrimonio, tum (suscepta etiā sobole) consummato, superuenientis forma viduæ trāuerſum actū, fidem libidine posteriorē habuisse, sic nullā eius sobolē regni capacē esse. Hūc locū egit magna cōtētione, nō signis modo & suspicionibus, sed nominatis etiā falso testibus. Addit non ignarū se quāto cū periculo dicat, sed ex eo loco loquētibus, in quo ipse stabat veritatē habēdam, vita quoq; ipsa potiorē, sibi Ioannē Baptistam authorem esse contemnendæ necis, dum illicita regum coniugia redarguat, nec tum admōdum mirari se Eduardū nihil habuisse pēsi legitimos ne an spuriōs relinqueret, quippe nec ipsum, nec fratrem eius Clarentiæ Duceū fatis certo natos patre, vt qui notos quosdam homines ē familiaribus Eboraci Duci magis oris specie referrent, quām ipsum Duceū. A cuius etiam generosa indole dicebat. Eduardum longē degenerasse. Cæterum protectōrem virum omnium quos sustineret terra clārissimum non vita modo, sed vultu quoq; ipso patrem referre. Hic est, inquit, vnuſ atq; vnius Eboraci Duci, verus & indubitatus filius, hæc illius viri nota facies, hæc certa forma, atq; ipsa charissimi Duci pectoribus adhue vestris obuersantis effigies. Sed antea iam conuenērat, vt dum hæc verba dicebantur, protector interueniret, ita fore vt putetur eam concionator haud humano consilio, sed diuino quāpiam adflatus numine protulisse, tum vt ea re permotus populus. Richardum Regem illicet ingeminaret, sic visum iri posteris diuinitus in regem illum quasiq; miraculo delectū. Verum id cōsiliū siue negligētia protectoris, siue nimia concionatoris diligentia longē aliter cecidit atq; constitutum est, nam dum vterq; metuit, ne superuentus eiusilla verba in quā debebat incidere præueniret, altero moras in via necēte, alter ita dicēdo festinauerat, vt eo loco toto perorato in alias res, neq; similes, neq; affines ei descēderit quū iam protector transfiret. At cōcionator vbi conspicatur ingressum, relicta ea re quā tū tractare cēperat, repēte velet attonit' nullo ductu ordinēve, sed ineptissimo recursu illa verba repetit denuo. Hic est

vnuſ

## HISTORIA REGIS

vnus atque unicus Eboraci ducis verus & indubitatus filius, & quæ sequuntur. Inter quæ verba protector committit Bakyngamie duce ad locum in quo reliquum sermonem audiret per medium incedebat populum. Sed illi tam longè aberat, ut illam regis nomine publico clamore salutarent, vt attoniti perstarent immobiles, stupore tam pudendæ concionis. Cuius author postea quoniam amicum quandam rogasset, quidnam de se sentirent ac loquerentur homines, quanquam satis è sua conscientia intelligebat nihil boni, tum ubi omnia sinistra accepit ita percussus est, vt paucis post diebus mœrore contabuerit. Sed quoniam quod tam audacter iam ceptū erat pari audacia virginum videbatur, uno tantum die post eum sermonem interposito Bakyngamie dux nobilium atque equitum non exiguo comitatu stipatus pluriū fortasse quām sciretur quid ageretur Londini in curiam venit, locum & elegantem & maximæ turbæ capacem tum convocato in curiam populo dux ex editiore loco, septus nobilibus & senatu Londoniensi, paullum promouens se, vt erat neque prorsus illiteratus, & suapte natura facundus huiuscmodi verba fertur habuisse. Amor vestri, viri Londonienses, effecit vt nos quales enim sumus cognoscitis, hoc veniremus ad vos de re in primis magna relaturi, nec magis magna quām omnibus utili, neque cuiquam utiliore quām vobis: Etenim quam rem diu maximis votis optastis, magnōque redimere voluitis, eam nunc vltro vobis nos afferimus nullo discrimine vestro, labore nullo, nec ullo prorsus impedio. Quæreris ea quæ sit corporum certe vestrorum securitas, vxorum filiarumque in oppugnata pudicitia, bonaq; vestra certa vobis atque ab insidijs tuta, quorū omnium quid iam diu fuit quod vocare suum quisquam certo poterat, tot intentatis laqueis atque extrictis decipulis, exactis præterea tam multis magnisque nullo non anno tributis, quorum nemtum quidem finis erat, cum nec regi qua de re exigeret causa, vel populo unde exoluero facultatum quicquam relictum esset. Sic bonis indies abrudebatur, vt effunderetur in improbos. Quæ calamitas eo processerat vt iam ne consuetæ quidem tributorum formæ sufficerent, sed benevolentiae plausibile & populare nomen meris rapinis obtrudebatur. Nam quæstores à quoque non quantum ille sponte sua dedisset, sed quantum ipsis collibuit et auferebant, tanquam populus in concedendo tributo, vocabulum benevolentiae ad ipsius voluntatem regis non ad suam cuiusque bonam retulisset. At ille nunquam mediocri quæstu contentus, omnem corradendi prætextum ad summum usque intenderat. Itaq; delicta non sua natura, sed opibus peccantis estimata sunt. Sic minimis quibusque offendis maximæ inditæ mulctæ, quin linguæ lapsus interdum totis locupletum fortunis redimebatur, aut vt iræ magis quām avaritiæ seruitum videretur, luebatur morte, dum leui cuique culpe prætenditur læsæ maiestatis atroc x nomen. Quarū rerum nemo est opinor vestrum à me qui exempla exigat, tanquam vobis Burdeti nomen exciderit hominis optimi ob solum verbum quod inter pocula temere exciderat trucidati crudeliter, legibus libidini principis, veluti obtuso collo seruire coactis non minore Marckami gloria, qui iudicium primus quum esset, adempto ob idipsum magistratu restitit, quām æterno illorum dedecore iudicium qui restabant, vt metu vel adulazione corrupti innocentem hominem ipsorum fidei religionique commissum prava legum interpretatione iugularent. Quin de Thoma Coco loquar equite ciueq; vestro, sed qualem per pauca ciuitates habet, qui omnes apud vos honores & ordines ritè consecutus est, & magnificè gesit. Qui vestrum est aut tam rerum negligens omnium vt non cognoverit, aut tam obliuiosus vt non meminerit, aut tam durus vt non ingemiscat eius viri damno, quid damnum dico, calamitati, spolijs, atque ex tantis opibus non ægestati modo, sed nuditat quoque, nō aliam ob causam quām quod eum amari contigit ab illis quibus Rex infensus erat? Sed quis finis erit si viritum recēseam, quum nemo sit ex hac tanta frequentia, qui non aut suorum periculo sit expertus, aut suo, familiæ totas in ultimū discrimen adductas, causa plerunque nulla aut admodum ex se leui atrocibus subnixa non minibus. Quin nullū tam capitale ruit in quod per meram calumniam facile non impingetur. Nam quum rex præueniens legitimū regnandi tempus sceptrum vendicaret bello, maximi piaculi loco habebatur in diuitem, illi cognatum, affinem, necessarium, amicum, familiarem vel notum ferè vñquam fuisse aliquem, quem Rex aliquando pro hoste habuerat, qui alijs atque alijs temporibus aduersariam sibi plusquam dimidiā partem regni sui effecerat. Hoc pacto dum bonis vestris tendebantur insidiæ, corpora simul in periculum veniebant. Atque hæc quidem pacis tempore gerabantur, quid de his ærumnis dicam quæ ex bellicis tumultibus, velut è fonte malorū omnium in vestram Rempub. profluxerunt: quæ bella vt semper sunt funesta, ita tum demum funestissima cū sunt ciuilia, nec certe usquam gentium infestius, aut acerbius ciuilibus armis certatū est, quām illo duce & principe apud nos, qui dum inuidit regnum, dum tuetur, dum ejicitur, dum reddit ac recuperat rursus, dum depulsores suos vlciscitur, tantum Anglii sanguinis exhaustum est, quanto non olim stetit bis subiugata Gallia. Ita populus imminentius aut oppressus est, nobilium vero ac procerum quota pars relicta est: Deniq; alterius dum pecunia petebatur, alterius formidabatur potentia, neutra pars tuta aut quieta fuit. Et quem non infestum sibi timebat, cui formidolofus erat

erat etiā frater, cui pepercisset qui germanum sustulit, aut quis amare potuisse eum, si istud potuit ne frater quidem? Iam quis hoc ferat, quod nemo tamē ignorat, vxorem Shori tamē scortum plus apud principem quam omnes regni sui nobiles valuisse, quin ex ipsis quosdam magnis in rebus suis vlos meretriculae necessario magis, quam honesto patrocinio? Quanquam ea satis pudice vixisse fertur, quoad improba libido principis viro eam suo abstulisset, cui nimurum vestro neque inopi, & indolis ac spei bona. Ceterum hac in re de qua libentius in defuncti reuerentiam superfederem dicere, nisi frustra taceretur quod omnes norunt, adeo insatiabili cupiditate flagravit, vt vitæ eius pars nulla minus ferenda videretur. Neque enim villa fuit vñquam neq; tam humilis, neque tam potens virgo, matrona, vidua, in quam semel oculum defixisset, quæ modo forma, vultu, voce, gestu, denique villa corporis parte placuisse ei, quam non ille statim nullo Dei metu, nulla retardatus infamia persequeretur, vrgeret, opprimet, irreparabili damno multarū ipsarum, nec minore cum luctu & dolore virorum, parentum, & si quid cuiq; erat amicorum reliquum, qui cum suapte sint honesti, tam charam habent vxorum castitatem, honestatemque familie, vt quamvis potius iacturam ferre, quam talē contumeliam queant. At licet his atque id genus alijs miserijs, vndique regnum mire premeretur, vos tamen vel in primis earum particeps fuistis, cum quod non alibi tam copiose exuberat iniuriarum materia, tum quod eratis vt plurimum proximi. Maximam enim anni partem haud longè discedebat ab vrbe. Et tamen vos estis hi, quos præcipue fouere iustissimis de causis debuerat, non ideo modo quod ab hac ciuitate maximē totius regni celebri multum apud exterios omnes inclitæ famæ accedit principi, sed quod magno cum impendio, periculoque vestro in rebus eius prosperis, aduersisque omnibus amicissimis animos, eximiam fidem, singularem semper operam præstis. Cui tam pio affectu vestro in Eboracensem domum, quum is qui maxime debebat, minimē se se gratum gesserit, restat nunc saltem qui superis annuentibus faciat diligenter. Quod ipsum ne nesciretis, eadem totius huius nostri ad vos negotij causa est. Quam dum exponimus quælo ut cœpistis attendite. Non est opus satis scio eadem vt ipse recenseam denuo, quæ tam nuper docto Shauus exposuit è suggestu vobis, vir vt longe facundior, sic author lōgē certè quam sum ego grauior. Neque enim mihi tantum ipsi arrogo, vt mea perinde valere verba postulem, atque eius, qui ipsum Dei verbum prædicat populo, præsertim tam prudentis, vt melius nemo quid sit dicendum intelligat. Porrò tam religiosè, vt certum sit, nihil eum cōtra sua fūrum quam sentiat, ex eo præsertim loco, quem

nemo bonus vñquam mentitus ascendit. Igitur ab hoc tali ac tanto viro didicisti, huius administrandi regni ius Richardo Gloncestræ duci potentissimo, atque omni virtutum genere florētissimo deberi, nempe quum patri suo clarissimo duci, cuius sanguine lata lege regnum firmatum est, is nunc supersit vñus, qui ritè queat succedere, cum ob illegitimas Eduardi nuptias, quibus nullam potuit sobolem nisi spuriam gignere, tum aliam ob causam, quam vt ille significauit potius quam explanauit: ita & ego intactam modo prætereo, adductus pudore ac reuerentia protectoris adeo in matrem etiam talem retinentis pietatē, vt grauatim in eam sinistri quicquam ferat etiam cum bono publico dici. Eas ergo res cum & proceres & bona ex parte populus perpendissent, & simul animaduertissent non bellicas modo virtutes, sed omnes præterea moderando imperio appositæ artes in vnum hunc virum ita diuinitus collatas esse, vt solus ad regnum natus videri possit, haud ferentes amplius spuria sobole regi se, nec tam acerba mala diutius inueterascere, magno decruere consensu supplicare protectori, atque eius obsecrare clementiam ne ipsorum respuant preces, nēve in se recusat onus administrandi regni suspicere, quod non ē iure magis suo quam reipublice fecerit commodo. Sed eam rem dubio procul haud libēter admittet. Qui gnarus pro sapientia sua perpendat facilè quanto plus curarum quam commodi secum ferat imperium, præsertim ei, qui sic decernat gerere, quemadmodum illum sat scio gestum si ceperit. Quod ego munus prædico vobis haud quaquā puerilis esse ingenij, idque ipsum ceptè sensit sapiens ille, qui dixit: Veh regno cuius Rex puer est, eoque magis & vestrae fortunæ gratulandum, & superis habenda est gratia, quorum benignitate prouisum est, vt is quem ipsi regno destinauerunt non ætatis modo maturæ sit, verum admirabilem quoque prudentiam, magna cum rerum vñsa ac summa domi forisque parta virtute, gloria coniunxerit. Qui tametsi tātum onus vt dixi, grauatim sit in se suscepturnus, tamen eo vt speramus adduci posse facilius, si vos quoque ciues honestissimi, ciuitatis huius regni longe clarissimæ statueritis nostris in hac re postulatis vestras preces adiungere. Quod vos vt faciatis, quanquam pro sapientia vestra non exiguum spem concepimus, tamen etiam vehementer oramus, idque eo certè confidentius, quod præter has nostras preces (quas ipsas quoque pro nostro in vos studio non nihil habituras momenti credimus) non toti modo in publicum regno profueritis tali diligendo principe, sed vobis quoque seorsum ipsis egregiè commodabit, quorum ille officijs imperium semper acceptum feret. Hæc dux quum dixisset, expectauit protinus vt manibus pedibusque vndique illi applauderetur,

## HISTORIA REGIS

utque Richardus vna omnium voce rex salutaretur. Sed contra tantam suam spem cum altum vndeunque silentium animaduertet, proprius insulans praefecto: Quid sibi hic habitus vult, inquit. Opinor, inquit ille, non satis exauditam illis orationem tuam. Id quidem, inquit Dux, corrigetur facilè: statimque aliquanto contentiore voce quam antea eadem alijs verbis, alio rursus ordine repetebat: verum adeò dilucidè ornateque, voce, vultu, gestu tam accommodo, vt quisquis aderat, fateretur facilè nunquam ante audisse se tam malam causam tam bene peroratā. Ceterum siue admiratione, siue metu attoniti, seu quod alium quisque loquendi ducem sequi, quam ipse preire malebat, omnes ex æquo facebant. Praefectus igitur ea in re non nihil & ipse perturbatus, in unum se cum Duce, & conscijs quibusdam colligens, negavit moris esse quidquam proponi ciuibus alterius, quam recordatoris voce. Indenatam fortasse taciturnitatem, ne quid suas consuetudine immutare viderentur. Appellant recordatorem Londinenses ibi eum, qui praefecti alesor est eruditus patrijs legibus, ne quid in reddendis iudicijs, imperitia peccetur. Id munus recens inierat Vilmansonus quidam, vir honestus & grauis, quem, quum haud vnam adhuc allocutus populum fuerat, male vrebatur tam inauspicatum initium. Ceterum iussus dicere, malum sibi metuens, si recusaret, eadem etiam ipse proposuit denuo, sed ita sermonem temperans, vt ducis omnia verbis acciperentur dicta, non suis. Sed nihilo secus durabat idem populi status, non aliter quam sili concubia nocte solet, obtentis, vultuque adeo imitabili, nullo vt signo prorsus ullum animi sui sensum præ se ferrent. At Dux non nihil offensus quod eius orationem tam aduersis auribus animisque exceptisset, conuersus ad praefectum: Quid sibi vult, inquit, silentium istud tam cōtumax, statimque ad turbam respiciens: Viri Londinenses, inquit, nos ea de re ad vos relaturi venimus, quam in re neque auxilio admodum vestro. neque consilio egebamus. Poteramus enim proceres & reliquias regni populus suffecisse deligendo principi, nisi noster in vos amor sualisset, ne vos ab eius tractatu rei excludere ausus, in quam adscitos ac socios esse vestrarum, tam valderum, vt nullius æquæ retulerit. Hunc animum nostrum vos aut parum cernere, aut parui pendere videmini, quem ne responso quidem dignum censuatis. Quin uno saltē verbo respondeatis, potentissimum Gloucestriæ Ducem, quem ceteri alioquin omnes proceres, populisque delecturi sunt, vos ne in Regem adscisci vultis, an non? Responso namque in utramvis partem dato discedemus, haud amplius molesti vobis hac de re futuri. Ad hunc sermonem excitatus aliquantum populus, missi-

tare inter se, & audiri sonus magis quam verba, qualis ex alueo redditur emigraturis apibus, quoad ex ultima parte cutiae, qua se ministri quidam Nashefeldi huius consilij participis congregauerant à tergo, repente clamor tollitur, Richarde Rex ingemiantum. Ciues retro cervices admirabundi flectere. Sed clamantibus adiungunt se famuli quidam nulla Richardi cura, vt in turba sit, ac pueri lati nouandis quomodounque rebus. Sed Dux tametsi displicebat illud, quod nullum honestum ciuem in ea parte videbat, factum tamen commode pro se invertens, indicto rursus silentio iucundissimum illum clamorem dicit animi in designandum Regem, adeoque alacris in unum consentientis, vt ne quidem sit auditus, qui contra dixerit, quem tam maximum affectum vestrum nos, cum erit opportunum, sic faciemus, vt audiat, idem vt vobis haud dubie in magnum aliquando bonum vertat. Sed interim vos oramus vt castina die pariter omnes maiestatem eius aedamus rogaturi, quod vos ei tanto cum consensu derulisti, idem vt suo consensu habeat ratum. His dictis descendit ipse, ceteri discidunt: pars aperte mœsti, multi simula ta latitia, nec deerant ex ipsis ducis comitibus, qui quum premere mœstitiam, quam non audebant ostendere, non poterant, vertere in parietem vultus coacti sunt, dum animi dolorem per lachrymas egererent.

Igitur postridie nobiles, ciuesque magna frequentia adeunt Protectorem, qui Londini diuersabatur, missus intro nuntius, ait: Proceres omnes Senatum, populumque Londinensem pro foribus esse, qui eius expectant expectantque colloquium. Sed is primo dubitat progredi, incertus quid sibi vellet ea turba, quæ sic superueniret inopinanti. Hanc Protectoris cunctationem Dux ad se allatam ostentat ceteris, vt scirent quam longe adhuc abesset Protector ab his cogitatione propositi.

Ceterum remissio nuntio, magnis obseruant precipibus admitti, adferre ea quæ nisi apud ipsum non sunt prolaturi. Prodit ergo tandem, nec adhuc tamen planè scilicet credit: verum ex ambulacro supernè despiciens accipit & reddit sermonem. Tacentibus igitur vniuersis, Dux ab equo sublimis, primum petit vt liceret ipsis quæ vellent libere citra vllam eius offensam proloqui; quanquam enim nihil meditarentur, vnde non & illi decus & regno commodum proueniret, tamen quum incertum sit quam in partem illius amplitudo esset acceptura, nihil ipsos nisi impetrata venia locuturos. Ad hæc Protector, vt erat in talis re perquam benignus, atque affabilis, tum cui mirus ardor inerat cognoscendi quid vellent, annuit, atque hortatur, no dubitant

ne dubitet quicquid decreuissent edicere, sibi verò animi in eos sui conscientia persuasum nihil in se quenquam cogitare quod non gratia magis sit, quam venia dignum. Igitur dux ea deum protectoris oratione securus, ausus est rem cum suis causis exponere, tandemque immensam eius implorare clementiam, ne regnum tam diu tot intolerandis malis afflictum negligeret, proceres, populumque ipsius ad uolutum pedibus pro consueta eius benignitate respiceret, procumbenti in se vnum patrie subiiceret humeros, tempublicam prope dirutam ac proculeatam erigeret, manus sceptro tandem velut temoni natus diu sine perito gubernatore fluitans apponenter, caputque illud venerandum pateretur onerari diademate, neque adeò dominationis tempestates horreret, neque delectetur immodesta modestia, ut suæ quietis causa, neglecto ocio publico, regnum sibi humano iure debitum, ab superis illi destinatum defugeret, è quo tanto plus honoris ferret ac minus solitudinis, quanto populo imperaret ipsius amanti & illius imperio subesse cupidissimo. Protector ubi verba ducis accepit, vultu haudquam annuente respondit, quod nec ipse nesciret vera esse quæ ille retulisset, se tamen eo fuisse affectu in fratrem, eo in liberos eius esse, ad hæc tantam habere honoris sui rationem, quam tribus etiam coronis anteferret, ut inducere in animum non posset, illorum postulatis satisfacere. Nempe exteras gentes, quibus res quo pacto gereret minus competitum fore, ex aliorum cupiditate ipsum quoque aestimaturas, ita suam famam venturam in periculum, quasi regnum non iure debitum per iniuriam occuparet. Sed tamen se non modo eorum postulatis ignorare, verum etiam voluntatibus egregie in se propensis habere, habitu rumque gratias. Ceterum orare vel sua causa, quem in se animum gererent eum totem consignarent principi, cui ipse parere quam regnare malleat, nec tamen operam consiliumque suum, quatenus Regi libuerit vti, defuturam unquam Reipublicæ, quam etiam non nihil exigu suè procurationis tempore (quod Deo non sibi referebat acceptum) subleuasset, vel eo præcipue quod improbos quorundam cognatus, qui eam perturbassent antea, quo minus iterum vexarent, ipse sua partim industria, sed plurimum diuina providentia compresister. Tum dux habitu paulisper cum suis colloquio, rursus ostendit rem eiusmodi esse quam incœpissent, vt etiam si esset integra, tamen vellent eam magnis de causis aggredi; nunc verò longius progressos quam vnde sit regredendum. Denique patribus populoque certum, non passuros amplius spurijs Eduardi liberis subiisci se. Proinde si delatum ultro non aspernetur imperium, vnum esse ipsum omnibus omnium votis expeditū principem, fin omniō definitē respondeat se non suscep-

tum, facilè ipsos inventuros quempiam cui respublica curæ sit. Hæc verba Richardi animum tam valde à regno abhorrentem sola flexere, cogitatis si recusaret ipse, nepotem nihil tamen magis regnaturum. Igitur ego, vt, inquit, doleo animo tam obfirmato decretum vobis Regem hunc non ferre diutius, sic in uitios vos a quoquam regi neque posse video, neque fas esse sentio. Certè quod ad me attinet, quanquam alium neminem esse scio, cui regnum hæreditate iure debeatur, pluris tamen has voluntates vestras, quam omnes leges, quarum vis omnis à vobis pendet, facio. quorum quoniam tam conspirantem in me consensum perspicio, ne vel parum fortis videar in capescenda republica, vel vestram in me benevolentiam non agnoscere. En hic in me hodierno die prourationem vtriusque regni, Angliæ, Galliæque suscipio. Alterum ut defendam & amplificem: alterum, ut vobis subijcam, atque in potestatem vestram reducam: nempe administrationem eorum dunataxat meam duco, ius verò fructumq; ac proprietatem vtriusque omnem vestrum, haud dubiè publicam. Quem ego animum quo die habere desiero, eo die precor, vt superi mihi non regnum hoc vestrum modo, sed vitam quoque ipsam vt indignam, quæ retineatur, cripiant. Hanc orationem eius alacris exceptit clamor, Richarde Rex ingeminantium. Proceres cum Rege (sic enim ab ea hora vocari coepit) concedunt intrō, populus discedit domū variè adfectus, multaq; super ea re secum disserens. Sed plurimis in ore erat impudens illa simulatio, sic agentium loquentiumque, tanquam protector de eo quod agebatur nunquam neque audisset, neque cogitasset ante, quum interim nec ipsi quidem dubitarent neminem esse tam stupidū, qui dubitaret rem omnem de composito geri. Sed alij morem causabantur, & receptam in rebus humanis cōsuetudinē, qua sic oporteat maximas quasq; res legitimis quibusdam perfici cæremonijs. Nam & eum qui creatur Episcopus bis rogari velit, bis postquam sancte negant, tertio vix adduci posse, vt dicat nolentem velle, quum interim vt nihil soluat Principi, tamen ambitum penè declarant emptæ Pontificis bullæ. Iam eum qui Imperatoris personam agit in tragœdia, populus nō ignorat forsitan esse cerdonem? Tamen tantæ inscitiae est illic scire quæ scias, vt si quis eum vocet qui vere est, non qui falso fingitur, veniat in periculum, ne ab personatis satellitibus malo ioco bene vapulet, & id quidem meritò, qui totam fabulam sit aggressus intempestiuā veritate turbare. Sequente die magno cum comitatu venit in forum, non illud Londinense, sed maius atque augustius, quod est in palatio apud occidentale cœnobium, ubi ab omni parte regni promiscuæ aguntur cause. Ibi quum in ea sede collocasset se, quæ regium tribunal, ob

## HISTORIA REGIS RICHARDI TERTII.

id vocatur, quod iudicia sic in eo foro exercercentur, ac parem obtineant autoritatem, tanquam ipsius ore regis prolatas, pro concione rursus ostendit ex eo loco potissimum possessionem sese regni capere, vnde Regis ore populo iura redduntur, quod ideo faciendum censuerat, quum sic sentiret leges exequi, easque administrare, id sit demum Regem esse. Deinde proceres, mercatores, artifices, denique omne genus hominum, (sed ea collegia nominatim, quae Britannicis student legibus) oratione quam maxime potuit populari conciliat. Postremo ne cuiquam inuisum eum faceret metus, simul ut benevolentiam pareret insidiosa clemetia, mala dissensionum oratione explicans simul & concordiae bona, ostendit se omnes erga quoscunque inimicitias ex animo delere & deponere, omnes omnium in se offensas condonare publice, cuius rei ut nesciam omnibus fidem faceret, ubet ad se accersiri Foggum, quem diu capitaliter oderat, adducto ex asylo proximo (nam illuc timore eius perfugerat) in populi conspectu ei dat manum. Rem vulgo acceptam ac iactantem laudibus, prudentes provana habuere. Inter Remigradum ut quemque habuit in via obuium, ita semper illis ad seruilem prope adulacionem se demisit, admissi conscius, ne sic quidem securus tam, aut quibus ad blandiebatur, confidens manum à capulo non referre, & circumspicere vndique, velut percussurus. Cum post ludicram illam electionem regnare coepisset, coronatus est, eaque celebritas magna parte illo ipso appetitu peracta. qui nec potius coronando fuerat destinatus.

\* \*

## HISTORIA REGIS RICHARDI TERTII. FINIS.

